De Aetnae aetate.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE GRYPHISWALDENSI

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

CAROLUS CATHOLY

POMMERANVS

GRYPHIAE

TYPIS HANS ADLER

MCMVIII

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

C. Auwers
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

Alfredus Gercke, professor p. o.

Examen rigorosum habitum est a. d. IV. idus februarias a. MCMVIII.

PARENTIBUS CARIS SACRUM.

Carmen incerti poetae, quod est de Aetna monte, non solum magnas in textu constituendo difficultates praebere, sed etiam alias quaestiones prae se ferre notum est, quas ut solverent per quattuor haec saecula viri docti summa ope enisi sunt, eas dico quaestiones, quae de auctore aetateque libri institutae sunt. Neque tamen disceptatio ad finem adducta est; sed fere omnium, qui obscuram libelli originem eruere studuerunt, sententiae in diversas partes discedunt. Editorum quoque, qui hoc decennio carmini operam navaverunt, iudicia valde inter se differunt, cum Sudhaus brevi post Vergili Georgica a. 30 a. Chr. n. publici iuris facta, Ellis aut Augusti aut Neronis aevo, Vessereau non multum post Lucreti libros Aetnam confectam esse verisimile duxerint. Nihil igitur constare videtur nisi hi termini: et post Lucretium, quem a. 55 a. Chr. n. mortuum esse accepimus, et ante Vesuvi eruptionem celeberrimam a. 79 p. Chr. n. factam certe carmen scriptum est; neque enim quin Lucretium sectatus sit Aetnae auctor neque quin post calamitatis illius ingentis annum liber de eruptionibus compositus Vesuvium nullo modo silentio praeterire potuisset, dubitatio est. Quod autem ad poetae nomen attinet, magnus est numerus scriptorum Romanorum, quibus Aetna attributa est; fuerunt enim qui Vergilio Ovidio Severo Lucilio Senecae Plinio adscriberent. Hanc quidem quaestionem, utpote quam solvi posse hodie vix quisquam speret, breviter tangam, alteram autem accurate examinare in animo est. Ac patere videntur quinque disquirendi viae: primum enim videndum est, quid e testimoniis

sive codicum sive scriptorum veterum eluceat, deinde scrutandum, num res quaedam aut facta certum tempus indicare videantur, tum quaerere debemus, quorum scriptorum notitiam habuisse quibusque innotuisse auctor putandus sit, denique rationes duae adhibendae, quae ad formam pertinent: nonnullas observationes et grammaticas et metricas exhibebo, ex quibus de aetate, qua scripta est Aetna, aliquid concludi posse opinor.

Caput I.

Jam accedamus ad rem primumque testimonia nobis tradita inspiciamus. Codices, in quorum subscriptione auctor nominatur, inter se consentiunt Vergili Aetnam esse, nisi quod deteriorum libellorum, quibus Italorum nomen dare solemus, nonnulli[1]) carmen Cornelio Severo adsignant; quod cum certe coniectura recenti ex loco Senecae infra afferendo deducta effectum sit, nihil valere apparet. In codice autem Lucensi, ad quem referendas esse verisimile est et lectiones, quae vocantur Gyraldinae, et textum a codice Laurentiano praebitum, coniuncta erat Aetna cum Claudiani carminibus, in quorum numero poema quod tractamus fortasse propterea positum erat, *quod locis nonnullis Aetnam commemorat Claudianus* (Wagler, De Aetna poem. quaest. crit. p. 10). Num iure librarius Aetnam illic collocavisset, iam Gyraldus ille dubitavit, neque est obscurum, quin Claudianus auctor non sit. Quae cum ita sint, in libris nihil nisi Vergilium carmen condidisse traditur.

Neque vero plane idem docent grammaticorum latinorum iudicia, quae servantur. Alterum exstat in vita illa Vergiliana, quam haud plane recte sub Donati nomine circumferri scimus; composuit enim eam Suetonius, Donatus retractavit tantum et auxit. (cf. Nordeni disceptationem in Mus. Rhen. 1906 p. 167 institutam). Ibi haec legimus: *scripsit (scil. Vergilius) etiam de qua ambigitur Aetnam* (Suet. ed. R. p. 58). Alterum autem testimonium in Servi ad Aeneida

[1]) Vat. 3272 et codex a Munrone ϛ nominatus, cf. Ellis p. XXIII.

prolegomenis invenimus, quae vitam exhibent Vergili lacunosam et e maiore Servi descriptione excerptam; haec autem verba ad Aetnam pertinent: *scripsit (sc. Maro) etiam septem sive octo libros hos: Cirin Aetnam Culicem Priapea Catalepton Epigrammata Copam Diras.* Elucet iudicium scriptoris intercidisse de eo libro, qui eius suspicionem movit; aliud carmen esse non potuisse nisi aut Aetnam aut Copam nuper Norden explanavit, qui tamen certum iudicium ferre dubitavit. Neque quamvis Servius ad Aeneidis l. III v. 571 asscripserit: *secundum Aetnam Vergilii,* Copam ei suspiciosam visam esse pro certo dici potest. Cognoscimus igitur certe Suetonium, fortasse etiam Servium de auctore Aetnae dubitavisse. Praeter hoc nihil ex his testimoniis sequitur nisi quod facile quis censuerit terminum illum ante quem qui vocatur confirmari; nam de libro paulo ante a. 79. vel post a. 79. p. Chr. n. scripto Suetonium, qui Domitiano imperitante adulescens fuit, aequales paulo grandiores natu docere potuerunt.

Jam liceat commemorare medio aevo Vincentium Bellovacensem Aetnae vv. 633—634 quasi Petroni laudare [1]); qua in re eum Jacobus Magnus saeculo XV secutus est[2]). Unde fluxerit haec opinio, mihi quidem ignotum est; sed memoria doctos illos homines deceptos esse putaverim; altero enim loco Vincentius Aetnae auctorem incertum esse professus de Lucilio cogitat, quem postea Wernsdorf[3]) auctorem significavit. Illis temporibus viri docti, cum Maro huius carminis auctor eis displiceret, poetae nomen coniecturis assequi studuerunt; qua in re quasi ducem secuti sunt Senecam philosophum, qui hisce verbis Lucilium amicum affatur: *Quid tibi do* (sic Rubenius), *ne Aetnam describas in tuo carmine et hunc solemnem omnibus poetis locum attingas? Quem quominus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod iam Vergilius impleverat: ne Cornelium quidem Severum uterque deterruit . . . Aut ego te non novi aut Aetna tibi salivam movet* (ep. 79). Quibus verbis adductus Scaliger nonnullis libellis Italis quos vocant

---

[1]) Spec. Mor. XX 25, cf. Spec. Hist. VII 62.

[2]) Sopholog. IV 10.

[3]) Poetae Latini Minores t. IV p. 1—214. Altenburgi 1785.

se applicavit Corneliumque Severum [1]) auctorem esse professus est, alii Ovidio, Wernsdorf Lucilio [2]) carmen tribuerunt. Licetne tale ex illis philosophi enuntiatis concludere? Quem de descriptione quadam Aetnae cogitasse, quae nihil nisi particula operis amplioris esset, verbis *describas in tuo carmine* et *attingas* probatur; eiusmodi sunt, quae Vergilius (Georg. I 471 sqq. Aen. III 571 sqq.) et Ovidius (Met. XV 783—798) de Aetna cecinerunt. Primo quidem aspectu haud scio an quis verbo *impleverat* commoveatur, ut Vergilium uberius ac fusius montem celebrasse arbitretur; neque vero ad versuum numerum hoc vocabulum pertinet, sed gravitatis plenos esse versus illos declarat; praeterea Vessereau [3]) suo iure affirmat hoc vocabulum ad paucos versus significandos eodem modo quo verbum *tractaret* de Ovidio dictum adhiberi posse. Quare mihi quidem ex Annaei litteris laudatis verisimile videtur fieri neque Vergilium neque Ovidium neque Severum neque reliquos illos poetas, quos enumerare supersedebat, carmen quod tractamus confecisse. Neque vero haec sententia in Lucilium cadit; certe amicus exspectavit eum in carmine, quod componere in animo habebat, excursum elegantem de Aetna monte facturum esse. Sed saepius accidit, ut, qui unum movet lapidem, ruinam magnam efficiat. Nonne fieri potuit, ut Lucilio quamvis ad descriptionem libro maiori inserendam a praeceptore impulso tantopere Aetna *salivam moveret*, ut poemate toto eam nobilitaret? Quod a probilitate non abhorrere cum Gerckio et Ellisio [4]) persuasum habeo. Quare illa epistula etiamsi Aetnae auctorem Lucilium esse non probatur, tamen minime evincitur, ut Sudhaus aliique iudicaverunt, ab eo carmen scriptum non esse. Quod porro Sudhaus (p. 82) contendit carmen, si scriptum esset ante

[1]) Cornelius Severus, quem nonnullis locis Ovidius alloquitur, et alios composuit libellos et carmen de bello Siculo fudit, de quo Senecam cogitavisse verisimile est.

[2]) Lucilius Senecae amicus paulo iunior Siciliam, cuius procurator erat, carmine celebravit; restat versiculus in N. Q. III 1, 1 laudatus.

[3]) In editione Aetnae p. XXXV.

[4]) Gercke Senecastud. (1896) p. 107, Ellis ed. p. XXXVII; eandem sententiam Schanz tuetur in H. L. R. II^2 1 p. 69 sq.

epistulam illam, certe Senecae non innotuisse — eum nisi ignorasset laudaturum fuisse carmen sibi persuasit —, non multum valere hoc argumentum apparet; nam intererat philosophi eos poetas nominare, qui evagati de Aetna verba fecissent quorumque descriptiones tanta essent elegantia[1]), ut eis amicus exemplaribus uti posset.

[1]) Qua de re Birt monuit in Philol. 1898 p. 605.

Caput II.

Sed iam de Aetnae auctore disserere desinamus et, ut aetatem libelli investigemus, secundam illam inquisitionis viam ineamus, quae ad res vel facta certis temporibus attribuenda pertinet.

Ac primae quidem rationi a viris doctis adhibitae subiecta est opinio eorum, qui confidunt, auctorem ipsum, cum tam vividis coloribus montis aestuantis faciem depingeret, eruptioni Aetnae adfuisse. Quam ob rem de eruptionum temporibus hi vv. dd., in quorum numero Alzinger et Vessereau sunt, aliquid colligere studuerunt. Quod eos iure fecisse mihi non persuadetur; hanc enim argumentationem in fontem, cui se applicavit poeta, non in carmen ipsum cadere arbitror. Scriptorem Aetnae montem novisse verisimillimum est; ferventem spectasse eum nemo probabit. Forsitan obiecerit quispiam neminem animum inducturum fuisse, ut Aetnam caneret, nisi eruptione facta hominum interfuisset operis illius notitiam assequi. Cui respondendum est nunquam plane *frigidam* Aetnam fuisse, sed paene assidue eam fumum arenamque diversis temporibus diversa vi eiecisse, nonnunquam tantopere, ut homines exterriti e propinquitate eius effugerent (quod Caligulam a. XL. p. Chr. fecisse Suetonius narrat) semperque homines antiquos eam cum admiratione et horrore contemplatos esse[1]). Quae cum ita sint, ad

[1]) Quod facile ei probabitur, qui vel obiter Senecae tragoedias inspexerit; ibi apparet paene omnes animi humani motus turbidos cum ignibus Aetnaeis comparari. Pauca eligam exempla: collatione illa poeta utitur in Herculis dementia (H. F. 105), Medeae furore (M. 409 sqq.) Phaedrae amantis insania (Ph. 100 et alibi), iratae nuptae dolore (H. Oet. 285) depingendis (cf. H. Oet. 1361, Oed. 314).

quaestionem nostram non pertinere censeo, quod intra annos 32. a. Chr. n. et 252. p. Chr. n. Aetnaeorum ignium eruptio maior non videtur accidisse.

Iam alterum ut terminum ante quem, qui vocatur, constitueret, Alzinger (Stud. in Aetn. coll. p. 44) profectus est de Aetnae v. 431 et sq.

Neapolin inter
et Cumas locus est, multis iam frigidus annis.

Quae verba post a. 63. scripta esse non posse vir ille doctus condendit, cum illo anno terrae motum ibi fuisse Seneca his verbis (N. Qu. VI 1, 2) testetur: *Nonis Februariis hic fuit motus Regulo et Verginio consulibus, qui Campaniam nunquam securam huius mali magna strage vastavit. Neapolis quoque privatim multa, publice nihil amisit.* Sed interest inter ignium eruptionem, de qua Aetnae auctor loquitur, et motum terrae; soli quidem concussionibus Campaniam vexatam fuisse neque alius rerum neque Aetnae scriptor negat. Praeterea alia erat illius motus regio, qui imprimis circa Vesuvium inde a Nuceria ad septentrionem factus Neapolim, ut Seneca ipse profitetur, *leniter* perstrinxit, ita ut hic eius finem fuisse conicere liceat. Locus autem, quem Aetnae auctor significare voluit, Vulcani est forum, quod tum vocatum est, cum hodie „Solfatara" appelletur; Cumis autem haec Ἡφαίστου ἀγορά propior est quam Neapoli.[1]) Quibus de causis hac in re Alzingerum erravisse et iure Sudhausium (p. 82) affirmasse credo de regionibus a poeta commemoratis ad aetatem libelli nihil posse concludi.

Progrediendum igitur est ad rationem, qua Kruckiewicz[2]) primus usus est. Poeta, qui inde a v. 569 hominum mores vituperat, qui res magnificas vel notissimas spectaturi longa per maria et terras itinera suscipiant, inter has res quattuor *tabellas Graias* enumerat (vv. 595—598), quas facile agnos-

[1]) Praeterea Alzingero obiciendum est philosophum tremorem illum terrae in N. Q. amplificasse; Tacitum autem (XV, 22) ex Annaeo hausisse, e verborum similitudine colligendum est (cf. Gercke Seneca-Stud. p. 323 sq.)

[2]) Kruckiewicz, Poema de Ae. m. Vergilio auctori potissimum attribuenda. Cracowiae 1884.

cimus. Primo quidem loco Venerem Appelleam Coi collocatam significat, deinde Timomachi Medeam Cyzici positam, tum Medeam a Timanthe pictam, denique Myronis buculam celeberrimam. Iam sequitur:

600 haec visenda putas terra dubiusque marique.

Poetam in illa carminis parte Romanos alloqui consentaneum est, quamquam Wagler (De Aetn. poem. quaest. crit. p. 63) omnes homines intellegendos esse expediebat, *qui mallent longa per maria itinera facere quam Aetnae intueri summum spectaculum.* Si haec recte essent explicata, quin auctor Romam nominat, quae aedificiis suis et ludis et multis aliis rebus magnas peregrinorum turbas allexit? Omnia, quae commemorantur, aut in Graecia aut in Asia exstabant. Quare Romanos adhortari videtur poeta, ne Aetnae *tantum opus ante pedes* transeant neve in terras longinquas proficiscantur, ut visu minus digna spectent. Itaque Kruckiewicz sententiam protulit, Alzinger et Vessereau assensi sunt tum, cum versus illos auctor funderet, tabulas, quarum mentio facit, procul Roma fuisse. Timomachi autem artificium illud a Julio Caesare Romam translatum et in templo Veneris Genetricis collocatum esse e Plinio comperimus (N. H. XXXV186); cum haec aedes a. 46. dicata sit, tabula intra hunc annum et Caesaris mortem Romam venisse apparet. Post hunc terminum carmen confectum esse non posse doctus ille vir acute conclusit, tamen eum erravisse propterea pro certo puto, quod, ut infra explanabimus, Georgica ab Aetnae auctore adhibita sunt (etiam alios adiit libros, haec autem nomino, quia de hac re ne Sudhaus quidem dubitat, quem nemo in imitationibus statuendis incautum esse iudicabit). Ne de Veneris quidem historia[1]) ab Apelle pictae si quis ad tempus Aetnae coniecturas adhibuerit, cum eo faciam. Sed res aliter explicari debet et potest, ut puto. Si Aetnae auctorem sagaci mente aequalium suorum consuetudines observasse et propriis incitatum cogitationibus in eas invectum

---

[1]) Haec tabula Coo ab Augusto Romam translata (Sues. Vesp. 18) carie consenuit Neronis aetate, ita ut pictura a Dorotheo facta pro ea substitueretur. (Plin. N. H. XXXV 91.)

esse sciremus, tunc sane omnia Kruckiewiczio concederem eumque sectarer. Sed cum poetam non e vita ipsa sed e fontibus scriptis hausisse locis similibus, qui apud alios scriptores exstant, probatum sit, accidisse censeo, ut exemplar suum tam accurate in versus redigeret, ut etiam ea servaret, quae plane apta non iam erant. Eum pictorum arti non favisse versus, de quibus agimus, testantur; nonne credere debemus eum artificia non curavisse? Quid mirum, quod, cum in libelli sui verbis inhaereret, tales res aut non animadvertit aut mutare sprevit? Nihil igitur de tabularum illarum commemoratione discimus, nisi fontem, quo in parte illa utitur, eo tempore scriptum esse, quo illae nondum Romae erant (i. e. ante a. 46.—44. a. Ch. n.)

Iam ad finem huius partis pergamus, cum ad quaestionem illam saepissime tractatam accedamus quae est de Tritone. Priusquam autem rem ipsam explicem, de contextu pauca dicam. Libri ita tradunt versum 294:

nam veluti sonat ora duc tritone cancro C
ora (ore Ar) diu tritona canoro r Ar

Variis modis sanare studuerunt locum vv. dd. Arundeliani lectionem uno verbo *tritona* in *tritone* correcto in editionibus suis Sudhaus et Vessereau servarunt neque vero eodem modo explicaverunt, cum Sudhaus maris oram intellegeret et Tritonem ita describi declararet, ut in mythologia fieri soleret, alter autem v. d. de Tiberis ripis cogitaret Aeneidis l. II. v. 788 laudato, ubi *his* . . *oris* pro campo Martio in Tiberis ripa sito diceretur. Neque vero Sudhausi explicatio illa stare potest, nam sine dubio de machina, non de re mythologica auctor verba facit; quare doctissimus ille vir postea (Gött. gel. Anz. 1903 p. 548) proposuit: *sonat organicus*, quod Hildebrand[1]) accepit. Hunc sibi fingit Sudhaus hominem, qui varietatem sonorum temperet, cum Hildebrand unum sonum longum nec varios Tritone fundi declaret ideoque organicum fabrum putet, qui machinae consulat. Equidem coniectura non opus esse putaverim et contextum receperim, quem Vessereau defendit; optime enim intellegitur

---

1) Hildebrand, „Rhetorische Hydraulik“ Philol. 1906 p. 438.

oram *diu* sonare, cum longas voces bucina emittat. Sed quam oram comprehendimus? Fucini lacus ripam significari Wernsdorf coniecit, in quo a. 53. p. Chr. Claudio imperatore pugnae navalis spectaculum editum est; quod his Suetoni verbis viro doctissimo probari videtur (Claud. XXI): *Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt duodenarum triremium singulae exciente bucina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.* Liceat mihi hoc puncto temporis ponere homines tum primum Tritonem talem aspexisse. Nonne verisimillimum est saepius inde ab hoc tempore machinam adhibitam esse? Certe tum non iam in lacu Fucino sed etiam aliis locis ostenta est seu in Tiberi seu in mari ipso velut Ostiae. Quod si ita se habet, cur non revera de ora maritima Aetnae auctor cogitare potuit? Quem allusisse ad naumachian ipsam a Suetonio narratam non arbitror mirorque, quod etiam ii vv. dd. hoc acceperunt, qui Aetnam post Senecam confectam esse iudicaverunt, nam si de illa re auctorem cogitasse probari posset, aut a. 53. p. Chr. aut brevi post libellum ortum esse paene certum esset; spatio enim quodam temporis intermisso de illo spectaculo non iam multos homines recordatos esse persuasum habebit, qui quotiens imperatores Romani populi admirationem rebus novis et inauditis movere studuerint, meminerit.

Jam vero quaeritur, num profecto Tritonis machina tum temporis primum cognita sit. Quam rem ut diiudicemus, primum videamus, num alia exstent testimonia, deinde, quid ratione concludendum sit, investigemus. Machinam quidem, quam hic scriptor depingit, prorsus diversam esse a Tritone, qui apud Heronem occurrit, nemo non videt; hic enim physicus de balinearum fornacibus verba facit narratque has saepe instructas fuisse fistula vi vaporis agitata, quae in Tritonis pusilli figuram desineret (ζωδάριον ἐσχηματισμένον εἰς Τρίτωνα καὶ ἔχον ἐν τῷ στόματι σάλπιγγα Pneum. II 35 p. 320 Schm.) Machina autem ab Aetnae auctore commemorata vaporis particeps non est, sed aëre presso movetur, cum *collectus aquae* aëris aditum regat (cf. Hildebrand l. l. p. 439). Praeterea Heronis Triton ipse tam parvi momenti est, ut risum moveret, qui minuta illa figura nominata totum opus indicasse sibi videretur.

Deinde Tritonis mentio fit, ita ut machina quaedam videatur significari, in Properti elegiarum l. II c. 32; poeta ibi pulchritudinem porticus Pompeiae et aquae salientis, quae prope erat, describit.

et leviter nymphis tota crepitantibus urbe
cum subito Triton ore recondit aquam.

Quid scriptoris verba sibi velint, satis enucleatum non est. Propertium enim, ut exposuit Hildebrand (l. l.), dicere voluisse Tritonem buccis inflatis longas voces in bucinam edere credendum non est, cum certe deus ut bucinam inflaret, non aqua os implevisset. Duas autem sententias Rothstein confundit, qui primo Tritonem subito aquam ore detinere neque iam effundere affirmat, cum postea de sono quodam loquatur, qui e dei concha reddi visus sit, cuius rei apud Propertium ne minimum quidem vestigium est. Quod initio v. d. exhibuit, fere rectum putaverim: Trito, e cuius ore aqua exsilire solet, subito non iam effundit, ut levis crepitus aquarum concurrentium conticescat. Quae si recte explicata sunt, huic figurae aquam eicienti nihil cum Aetnae Tritone commune est.

Cognoscimus igitur Tritonis machinam, quae cum Aetnae comparari possit, non occurrere praeter eam, de qua Suetonius mentionem facit. Quam eo tempore, quo a Claudio in usum vocata est, novam rem fuisse et per se verisimile est, cum hac de causa scriptor eam nominet, neque eo refellitur, quod *Ciceronis aetate Romanos hydraulorum sonitu delectatos esse ex Tusc. III 18 (hydrauli audiat voces potius quam Platonis)* scimus (Alzinger l. l. p. 48). Nam machina illa diversa ab his hydraulis et structura difficillima fuit, cum non solum aquae opera, sed etiam *in* aqua voces ederet. Quare quamquam auctorem *spectaculum* illud respicere non crediderim, tamen adeo non infracta esse Wernsdorfi ratio mihi videtur, ut terminum anno 53 recentiorem a viro doctissimo repertum esse putem[1]).

[1]) Hildebrand in disceptatione, quam inscripsit: Beiträge zur Erklärung des Gedichtes Aetna (p. 16) Wernsdorfi comprobavit sententiam, cum postea de ea coniectura illa Sudhausi accepta decederet.

Caput III.

Jam ab his argumentis abeamus et in tertiam progrediamur partem, qua explanandum est, quos scriptores Aetnae auctor videatur respexisse. Hanc quaestionem ne apud hunc quidem poetam sine aliquo lucro tractari confido, cum *Romanos nunquam dubitavisse ab eis, qui antecesserant, ut res et argumenta, ita etiam verba et dictionem mutuari idque maxime factum esse a poetis*[1]) sciamus.

Catullum autem et Lucretium omittamus, quia nemo dubitat, quin hos poetas, imprimis Lucretium, imitatus sit.

Ac primum quidem de Vergilio videndum est. Priusquam autem ad singulos locos comparandos pergam, mirum viri docti[2]) iudicium commemoraverim, qui, ut Aetnae auctorem Maronem esse probet, carminis versu 634 *(pietas homini tutissima virtus)* quam maxime se affirmat de dicto quodam Vergili admoneri. Scriptum enim legit in vita illa sub Donati nomine vulgata (18, 75): *V. solitus erat dicere: nullam virtutem commodiorem homini esse patientia.* Ciceronem doctus ille vir legere debebat, si dicta illi, quod in Aetna exstat, similiora et multa invenire voluit; fortasse tum Tullio Aetnam asscripsisset.

---

[1]) C. Hosius in commentariolo elegantissimo de imitatione poetarum Romanorum composito (Gryphiae 1907, p. 3).

[2]) Walter, Blätt. f. d. bayr. Gymnasial-Schulw. 1899 p. 585. — Tantidem eorum rationem aestimo, qui putant Vergilium auctorem esse eo confirmari, quod de figulis in carmine mentio fit (v. 517) et Maronis patrem figulum esse accepimus (Ellis in excursu p. 238, Vessereau p. XXXV; *Virgile aurait bien pu observer dans l'atelier paternel le fait qui est constaté dans l'Aetna).*

Inspiciamus igitur Maronis opera. Quod attinet ad Bucolica, tales similitudines non exstant, e quibus conici possit, uter alterum imitatus sit.

Multo autem frequentiores Georgicorum loci sunt, quibus de Aetnae versibus commoneamur; quorum in numero nonnulli inveniuntur, qui imitatorem ostendere videantur. Unum iam significavit Ellis (Aetn. ed. p. XXXII), cum Georgicorum l. I v. 467 cum carminis huius v. 609 conferret; quod iudicium tulit Maronem priorem putandum esse, cum eo consentio, sed accuratius rem examinandam esse censeo quam vir doctissimus fecit, qui quod putabat, argumentis non probavit. — Aetnae auctor l. l. *undam molarem,* quae ex Aetna erumpitur, cum fulmine comparat:

609 *Haud aliter quam cum saevo Jove fulgurat aether*
et nitidum obscura caelum caligine torquet.

Ac primum quaeritur, quis torqueat. Ratio grammatica nobis suadet, ut aethera subiectum ducamus, id quod editores tres huius decennii fecerunt; quos non sequor, cum quomodo aether caelum torqueat, intellegere nequeam. Quare cum Hildebrandio subiectum in verbis antecedentibus: *saevo Jove* inesse censeo et ante vocabulum *nitidum* nos subaudire oportere: *Juppiter.* Sed ne hac quidem ratione omnis offensio remota est. Quid sibi volunt verba: *caelum caligine torquet?* Sudhaus vertit: *verhüllt;* neque vero ullum novi locum, quo haec significatio vocabulo torquendi insit. Verum omnes, qui verba: *caelum torquere* audiunt, de circumactu caeli cogitant; hoc modo secundum proprium verbi sensum locum, quem tractamus, Ellis intellegere vult. Neque vero in ea re, quam poeta explicat, conversio mundi mihi quidem locum videtur habere; auctoris enim interest declarare caelum subito obscurari, id quod motu illo certe non efficitur. Itaque ea verbi significatione versus explanandus videtur esse, quae iam relinquitur: sensum dico vexandi; quasi caelo atris nubibus immissis iniuria fiat, poeta dicere mihi videtur: *Juppiter caelum caligine vexat.* Jam conferamus cum hoc enuntiato, quod mirum sane et obscurum dicere non vereor, versum Vergili, qui de sole affirmat:

I 467 *cum caput obscura nitidum ferrugine texit*

quae optime dixit poeta Mantuanus, ut prodigium describeret, quod Caesare interfecto accidit; sol enim per totum annum miro modo pallida erat, cum nebula obscuraretur. Quare si unquam de duobus locis similibus eum, qui simplicior aptiorque sit et facilius perspiciatur, prius scriptum esse iudicamus, hic asseverare licet Aetnae auctorem Vergilium imitatum esse.

Jam vero hos locos inspiciamus, qui inter se quodammodo cohaerere mihi quidem videntur:

Ae. 361 *et montis partes atra subvectat arena.*

G. III 241 *nigramque alte subiectat arena.*

Occurrit versus Vergilianus in ea Georgicorum parte, quam (a v. 229) Lucanum Statium Silium admiratos esse constat. Ibi auctor, cum de taurorum proeliis verba faciat, tauri impetum cum incursu imae undae verticibus exaestuantis et arenam subiectantis comparat. Haec omnia dilucida sunt, neque minus apte ea dicta sunt, quae alter exhibet, qui animarum impetum ignes et saxa atra arena subvectare expedit. Videmus autem, quamquam poetae se respicere videntur, alterum alterius verba leniter mutare, cum hic *subvectat,* ille *subiectat* praebeat. Ponere liceat Maronem imitatorem fuisse: quae ei fuit causa mutandi? Nullam cognoscimus; neque enim in eius sententiam verbum *subvectat* minus quadrasset (fuerunt qui ita scribere vellent, non iure); Aetnae autem poeta, si in exemplari suo legit *subiectat,* mutare coactus erat, cum ei in animo esset depingere arenam atram, quae faucibus elideretur, saxa ferre (cf. comm. Sudh. p. 158). Scripsit igitur *subvectat* quasi saxa vehiculo arenae sublata in altum veherentur; quare si haec recte deliberavimus, fortasse affirmare licet Georgicorum versum ante Aetnaeanum videri esse conditum.

Sed iam considerationem intendamus in illam carminis particulam, qua de agricultura poeta loquitur (vv. 264—272). Qui, quam acriter in hanc rem invehatur, inspexerit, persuasum habebit ei rem non solum esse cum agrorum cultu, sed etiam cum eo scripti genere, quo hic celebrabatur. Quo arbitraris haec tela dari nisi in Vergili Georgica? Atque auctor ipse hoc indicavit, cum ad verba Georgicorum adluderet, quod ex Alzingeri indice facile cernimus: apud utrumque

invenimus verba *arva coloni* (in claus.) et *tenent oleae* (in eadem versus sede) et Aetnae versus 266/267 respicere videntur Georgicorum I 52 sqq:

cura sit. . .
et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset.
hic segetes, illic veniunt felicius uvae,
arborei fetus (= plantis) alibi, atque iniussa virescunt
gramina (= herbis).

Itaque etiamsi levioris sint momenti rationes supra adhibitae, ex hac una re Georgica Aetnae auctori innotuisse concludere ausim. Sequitur, ut post a. 30 a. Chr. n. Aetna composita sit.

Jam vero in Aeneida inquiramus[1]. Ac primum quidem, ut omnis locorum similium numerus circumspiciatur, idoneum existimo eos congerere, qui in Alzingeri Sudhausive tabulis non exstant:

Aetn. 2 — *volvant incendia causae*	Aen. II 706 — *aestus incendia volvunt* M
28 — *mens carminis haec est*	VIII 400 — *haec tibi mens est* M
30 — *faucibus ignem* (i. claus.)	VIII 786 — *faucibus ignem* (i.cl.)
54 — *dextramque coruscam* (i. cl.)	II 552 — *dextraque coruscum* (i. cl.)
71—73 *gurgite Trinacrio morientem Juppiter Aetna obruit Enceladon, vasto qui pondere montis aestuat, et petulans exspirat faucibus ignem*	VIII 786 — *efflantem faucibus ignem* (i. cl.) III 578—580 *fama est Enceladi semiustum fulmine corpus urgeri mole hoc ingentemque insuper Aetnam impositam ruptis flammam exspirare caminis.*
95 — *incingitur undis* (i. cl.)	IX 790 — *quae cingitur unda* (i. cl.) W
144 — *percipe cura* (i. cl.)	X 519 — *concipe curam* (i.cl.)

[1] Locos allatos, quos non ipse repperi, his litteris appositis denotavi: A (Alzinger, Stud. in Aetn. coll. 1895), H (Helm, Berl. Phil. Woch. 1898 p. 1195 sqq), M (Manitius, Woch. f. kl. Phil. 1898 p. 1170 sqq), S (Sudhaus ed.), W (Walter, Bl. f. d. bayr. Gymn.-Schulw. 1899 p. 585 sqq.).

147	— *nec ventis segnior ira est* (i. cl.)	X 657 — *nec Turnus segnior instat* (i. cl.)	H
160	— *vastosque recessus* (i. cl.)	VIII 193 — *vasto summota recessu* (i. cl.)	M
203	*procul . . . . miratur*	VI 651 *procul . . miratur* (in eadem versus sede)	H
227	*caputque attollere caelo*	IX 678 — *caelo attollunt capita*	
228	*scire quot et quae sint magno fatalia mundo*	*audisti et quae sit magno sententia bello.*	
301	— *magnum commurmurat Aetna* (i. cl.)	I 55 — *magno cum murmure montis* (in cl.; Gercke[1])	
344	— *spiritus illi* (i. cl.)	V 648 — *spiritus illi* (i. cl.)	
398	— *sine nomine saxa* (i. cl.)	IX 341 — *sine nomine plebem* (i. c.; Ellis Aetn. p. 172)	
636	*quocumque . . cedunt*	XII 368 *quacumque . . cedunt*	

Si hos locos et maiorem etiam numerum eorum inspexeris, qui iam ab Alzingero asscripti sunt, arto quodam vinculo constrictos esse auctores vix infitiaberis; iam nonnullos inter se componamus, ut eruere conemur, uter ex suo ingenio hauserit, uter alieno. Ac primum Aetnae versus 177 quomodo cum prioribus coniungendus sit, quaeramus. Vulgo ita leguntur versus

175 *Haec primo cum sit species naturaque terrae,*
introrsus cessante solo trahit undique venas.
Aetna sui manifesta fides et proxima vero est.

Baehrens autem (P. L. M. II) post: *sui* punctum posuit, quod certe perperam fecit; neque enim intellegi potest, cur, si res ita se haberet, poeta scripserit: *sui.* Cur non, si verbum ad *venas* referendum esset, dixit: *suas*, quod sane consuetudini magis respondisset? Constare igitur videtur sententiam priorem ante vocabulum *sui* claudi, sive cum lectione vulgata post *venas* sive cum Sudhausio post *Aetna* distinguere praefers, neque dubitatio est, quin vocula: *sui* ad verba *manifesta fides* pertineat. Quod satis insolenter dictum esse fortasse

[1]) In Sen. N. Qu. editione (p. 216).

nemo est, quin Ellisio (Aetn. p. XXXI) concedat; apud Vergilium autem haec enuntiata et simpliciora et aptiora legimus: Aen. II 309 *tum vero manifesta fides* III 375 *auspiciis manifesta fides.* Hanc dictionem, quae ei arridebat, Aetna auctor repetisse et genetivo audacter apposito videtur auxisse.

De altero quoque loco cum Vergiliano conferendo Ellis disputavit, sed ita, ut iudicium, quod tulit, paene nullis fulciret argumentis; clausulam dico *subremigat unda* (v. 229), cui in Aeneidis l. X v. 227 respondent verba: *subremigat undis.* Quae similitudo casu orta esse vix potest. Jam enucleare studeamus, uter locus speciem prioris originis prae se videatur ferre, ac primum consideremus Maronis versus:

Cymodocea
pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
eminet ac laeva tacitis subremigat undis.

Sinistram igitur manum nympha ab imo per undas quasi remex movet, ut — haec quoque adiutandi significatio verbo *subremigat* ut aliis verbis hac praepositione instructis (*subministrare, sufficere* etc.) inest — navis cursum impellat. Quod *tacitis undis* (abl. abs. recte explicat Hildebrand Philol. 1906 p. 436) fieri potest, quia dea est. Vides optime dictam esse clausulam illam; neque vero minus apte Aetnae auctor loquitur. Ne apud hunc quidem poetam verbum illud propria vi caret, sed ut diserte copioseque Hildebrand disseruit, propterea usurpatum est, quod vectis numerose in modum remigii agitatur et in imo, cum supra organicus linguas digito premat. Itaque elucet apud utrumque scriptorem verbum non levis momenti esse, sed vim certam praebere; tamen diiudicari posse credo, uter alterius horrea compilaverit. Quaestio est, uter re ipsa magis incitatus sit, ut hac similitudine uteretur. Jam cernimus actioni nymphae cum remigando plura communia esse quam numerum; manum enim ut remum per aquam quod agitat, ideo facit, ut navem moliatur. Revera igitur remigat, nisi quod remus eius manus est. Cum autem per se verisimillimum sit clausulam talem in eo sententiarum conexu inventam esse, ubi verborum significatio principalis occurrit, Vergilio priores partes tribuere non dubitabimus.

Jam vero pergamus ad haec verba versuum exitum formantia: *penitusque cavernas;* quae extant in Aetnae v. 309 et in Aeneidis l. II v. 19. Quam quidem copulationem maioris momenti esse existimo quam talium clausularum passim adhibitarum, quales sunt: *pectore curas, aequora ventis, nubila caeli* etc. In versum autem Aetnae verba minus quadrant quam in alterum locum; legimus enim in carmine illo:

309 *Non dubium rupes aliquas penitusque cavernas*
proruere ingenti sonitu (sic recte Aldina).

Cum ad totam sententiam verbum *penitus* pertineret, cum eo non coniungenda erat vocula *que,* quam *rupes* et *cavernas* copulare opus erat. Sed Maronis loco illo novum incipit enuntiatum cum verbo *penitus,* cui *que* particula apte addita est, ut haec enuntiatio cum praeeunte colligetur. Quare cum apud alterum clausula apta sit, apud alterum consuetudini sermonis repugnet, hoc quoque loco Aetnae auctorem poetam illum celeberrimum imitatum esse iudicaverim.

Idem sequi videtur ex versu 599, qui vulgo sic legitur:

et iam mille manus operum turbaeque morantur.

nam et vocula *que* transposita est, cum operum turbae unam efficiant notionem, et duobus verbis idem significatur; quid enim aliud sunt manus nisi opera? Sudhaus quidem vertit „Hände", tamen dubitari non potest, quin *manus* figura quadam pro eo dictum sit, quod eis factum est (Vessereau: *mille travaux d'artistes*). Vergili autem versus, quos adnotavit Alzinger, optime intelleguntur:

Aen. X 167 *sub quo* (sc. *Massico monte) mille manus iuvenum* (sc. *erant)*
I 455 *artificumque manus intrans operumque laborem miratur.*

Si alter alterum respiciat, quod sane pro certo non affirmaverim, Aeneida exemplar fuisse arbitrer.

Denique unus locus hac ratione tractandus est, versum dico 633, ubi poeta pietatem affatur: *o maxima rerum.* Quae dictio satis rara bis in Aeneide[1]) invenitur, ubi de Roma poeta dicit: *maxima rerum* quod illustre visum esse posterioribus inde apparet, quod nonnullis locis Manilius item

[1]) VII 602, IX 279.

de Roma loquitur. Quid tam facile comprehenditur quam haec significatio? Equidem nullam cogitare possum rem, cui rectius hoc nomen dare debuerit is poeta[1]), qui, ut Romam celebraret, carmen condidit clarissimum. Pallida et ieiuna, si res comparamus, significatio ad virtutem illam adhibita videtur esse. Sed Ellis monet, ne hos locos artius conexos esse censeamus, cum minor ei congruentia videatur (Aetn. p. XXX); equidem facillime fieri potuisse puto, ut illud Maronis Aetnae auctor respiceret.

Itaque cum omnibus locis, quos comparavimus, Vergilium priorem scripsisse videri statuerimus, verisimile esse asseverare possumus — licet unus vel alter versus nimis sit pressus — post a. 19 a. Chr. Aetnam confectam esse.

Cum Vergilius moreretur, tres elegiarum libros Propertius iam ediderat, quos anno 16 a. Chr. n. vel brevi post ultimus secutus est. Etiam cum hoc poeta Aetnae auctori nonnulla sunt communia, neque vero eius modi similitudines sunt, ut eis inniti possimus ad coniecturas certas adhibendas; nam praeter tres clausulas (83 Prop. IV, 11, 23 *Ixionis orbem,* 231 II 20, 21 *orbita lunae,* 271 III 17, 17 *dolea musto)* hi tantum versus quantum cognosco sibi quodammodo similes videntur:

119 *cum videt ac torrens uno*[2]) *se mergere hiatu*	II 32, 9 *cum videt accensis devotans currere taedis*	
129 *hospitium fluvium*	I 20, 10 *fluminis hospitio*	A
290 *nubilus auster* (i. cl.)	II 16, 56 *nubilus auster erit*	A
367 *nec te decipiant*	I 9,25 *nec te decipiat*	S
432 *multis iam frigidus annis*	IV 22,1 *frigida tam multos placuit tibi Cycicus annos.*	

Ex his locis nihil de ratione elicimus, quae inter utrumque scriptorem intercedit; alio modo Sudhaus aliquid eruere studuit. Ille enim Propertium loco quodam ad carmen, quod tractamus allusisse contendit. Quod, ut rectissime Schanz disseruit

---

[1]) Obversatur animo meo versus, quem de urbe Ovidius cecinit (Met. XV, 445):

quanta nec est nec erit nec visa prioribus annis.

[2]) Huic lectioni codicum corruptae Stowasser coniectura: *torrentisono* succurrere voluit (Zeitschr. f. öst. Gymn. 1900 p. 385 sqq); at poeta versus semiternaria et semiseptenaria solis incisos respuit.

(H. L. R. II 1 p. 69) iam propterea incredibile est, quod Propertius non viris doctrinae et scientiae quam maxime deditis, sed omnibus hominibus politioribus carmina sua fudit. An credidit Sudhaus *doctam puellam*, cui poeta libellos dedicat, quam ut delectarent versus compositos esse identidem affirmat, operam dedisse, ut Aetnae austeras et difficiles sententias perciperet? Sed rem ipsam examinemus; Propertius l. I. c. XVI v. 29 confidit amicam se, dummodo audiat, exaudituram esse

sit licet et saxo patientior illa Sicano.

Quod homines intellegere non potuisse Sudhaus sibi persuasit nisi versibus Aetnae antea cognitis, quibus auctor explanat lapidem molarem, ubi igni victus est, hunc magna *patientia* servare (411); laudatque porro v. d. versum 422 *hic semel atque iterum patiens* . . . Cum locos Aetnae cum Propertiano comparo, non video, quid commune eis sit. Si poeta elegiacus puellam amore suo victam *patientiorem* vocasset *saxo Sicano*, quia assidue amoris flammas exciperet, tum concederem similes esse locos. Quae autem re vera dixit Propertius, aliam ostendunt verbi *patiens* significationem atque in Aetna exstat; nam cum in hoc carmine notio insit diu patiendi et servandi ignes, apud Propertium sensus resistendi invenitur et idem fere significat vox quod durus. In eundem modum Ovidius (Am. I, 15, 31) de dente *patientis aratri* loquitur. Quare inter locos Aetnae et Propertium nulla ratio intercedit. Tamen fieri potest, ut de lapide molari in elegia illa cogitandum sit, quem prope Aetnam saepissime occurrere certe non Aetnae auctori soli notum erat; id Hildebrand et Birt[1]) verum putant, cum Rothstein achatem intellegat. Alias explicationes omittere liceat[2]); equidem saxum pro marmore dici, ut saepe accidit, et marmor Siculum poetam designare voluisse crediderim; quod lapidis genus non ignobile fuisse et aliunde et e Petroni versu comperimus (frgm. XXXIV 3):

„marmore Sicanio struxi tibi, Delphice, templum.“

---

[1]) H., Beitr. p. 21; B. Philol. 1898 p. 604 sq.

[2]) Helm aut pumicem aut litus Siciliae saxosum (*Σικελία πετρήεσσα*) significari suspicatus est.

De Tibullo paucissima verba faciam. Exstant nonnulli huius poetae elegiaci loci, qui similes sunt Aetnae; sed et perpauci sunt et tales, e qualibus nihil potest conici[1]).

Quod autem ad Horatium attinet, Helm Aetnae versum 238 sq.

238 *tempora cur varient anni, ver prima iuventa*
cur aestate perit, cur aestas ipsa senescit
autumnoque obrepit hiems et in orbe recurrit

a carmine eius septimo l. IV pendere sibi persuasit:

9 *frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas*
interitura simul
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.

equidem viro docto non assentior, cum neque similitudinem in re tritissima mirari debeamus neque verba communia his paucis: *ver, aestas, recurrit* exceptis inveniantur. Quare ex his locis nihil proficimus. Similitudines autem verborum — sane paucissimae —, nisi fallor, hae sunt: duo versuum exitus: *carminis auctor* (Ae. 4, H. s. I, X 66 epist. II, III 45) et *carmine manes* (Ae. 77 H. ep. II, I, 138) et initium: *quaeritur argentum (i)* (Ae. 260 H. ep. I, II 44). Cum verbis: *carmine manes* in versu Horatiano vis quaedam maior insit, hunc afferre liceat:

carmine di superi placantur, carmine manes[2].)

Tamen ex hac re nihil de ratione, qua uterque copulatus est, concludere audeo.

Iam progressi ad Culicem, quod carmen perperam sub Vergili nomine traditum post mortem eius scriptum esse plerique vv. dd. explicaverunt, nonnullis locis de Aetna admonemur:

Aetna 4 — *carminis auctor*	Cul. 12 — *carminis auctor* A (cf. Hor. s. I, X 66, ep. II, III, 45)
7 *Pierio . . . sorores*	18 *Pierii . . . sorores* (in ead. v. sede) A

———

[1]) Locis a Sudhausio ad vv. Aetnae 4, 104, 287, 340, 365 adnotatis addas ad v. 62 Tib. IV 4, 24 — *pia turba deorum*.

[2]) L. l. Aetnae ablativum *carmine* singulari quodam modo usurpatum esse Birt (p. 608) monuit.

8 *Phoebo duce*	36 *Phoebo duce* (in ead. v. sede) S
13 *flueret Bacchus pede*	17 *pede labitur unda*
46 *ima per orbes squameus intortos sinuat vestigia serpens*	164 *serpens squamosos late torquebat motibus orbes.*
65 *illinc devictae verterunt terga ruinae infestae divis acies atque impius hostis.*	389 *quis tam infestum pugnans devicerat hostem*
78 — *Ditis pallentia regna*	273 — *Ditis ferrugine regna*
595 — *Paphiae rorantes arte capilli* (i. cl.)	76 — *gratae rorantes lacte capellae* (i. cl.)

His locis inspectis num carmina inter se cohaereant, adhuc dubito, sed miram congruentiam apparere inprimis in locis, quos postremos enumeravi, vix potest negari. Si auctorum alterum alterum respicere credendum sit, e v. 595 poetam, quem tractamus, imitatorem esse affirmaverim; nam cum Culicis verba simplicia et perspicua sint, Aetnae enuntiatum tam arcessitum est, ut Wagler mutandum esse censuerit[1]).

Transeamus ad Ovidium:

Aetn. 4 *in nova* (i. initio)	M. I 1 *in nova fert*.. (i. in.) A
14 *pinguis Pallas olivae secretos amnes ageret*	M. I 111 *flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.*
20 *aversumve diem sparsumve in semine dentem*	Am. III 12, 39 *aversumque diem* (i. in.) S
	35 (M. III 105, IV 573) — *Thebanaque semina dentes* (i. cl.) A

[1]) Verba libris tradita *rorantia parte camilli* sensu carere apparet; vv. dd., cum paene omnes coniecturae *rorantes-capilli* assentirentur, diversas sententias de tertio vocabulo professi sunt. Scaliger enim *arte*, Baehrens *patre* (pro Oceano), Haupt *matre* (pro mari vel Amphitrita) proposuerunt. Quae omnia Waglero dura obscuraque visa sunt, ita ut se magis a codicibus removeret hac lectione accepta: *manantes rore capilli*. Eum erravisse Culicis loco allato paene efficitur; equidem Scaligerum sequor suspicatus in exemplari quodam, cuius scriba mendose *camilli* scripserat, superscriptam fuisse litteram *p*, quae postea falso ante *arte* collocabatur.

43 *temptavere — nefas — olim detrudere mundo sidera captivique Iovis transferre gigantes imperium et victo leges imponere caelo*	M. I 183 *tempestate . . . qua centum quisque parabat inicere anguipedum captivo bracchia caelo* S XIV, 811 — *imponere caelo* (i. claus.)
49 *Pelion Ossa gravat, summus premit Ossan Olympus*	Am. II 1, 14 *Pelion Ossa tulit* A Fast. I 307 — *Ossan Olympus* (i. claus.) A
56 *incursant vasto primum clamore gigantes*	M. XII 489 *vasto . . clamore* (in ead. v. sede)
62 — *iam cetera turba deorum* (i. cl.)	M. III 564 — *hunc cetera turba suorum* (i. cl.)
63 *validos . . . ignes*	M. VII 9 *validos . . ignes* (i. ead. v. s.) A
83 — *Ixionis orbem* (i. cl.)	M. X 42 — *Ixonis orbis* (cf. Prop.) (i. cl.) S
88 *falsa . . sub imagine*	Ep. XVI 45 *falsa sub imagine lusae* (Ledae) A
101 *conceptas . . . auras*	T. VI 705 — *concipit auras* A
102 *scilicet aut olim* (i. in.)	T. VI 721 *scilicet hic olim* (in in.) S
125 [flumina . . . vorago] — *fatali condidit ore*	M. XV 54 — *fatalia fluminis ora* A
140 *cernis et* (i. in.)	XV 186 *cernis et* (i. in.) S
164 *languent vires*	Pont. I 4, 3 *languent vires* A
184 *inter opus* (i. i.)	M. VII 539, VIII 210 *inter opus* (i. i.) A
215 *ingenium velox*	M. VIII 254 *ingenii . . velocis* A
294 — *Tritone canoro* (i. cl.)	M. II 8 — *Tritona canorum* (i. cl.) A
298 — *imparibus . . modis*	Trist. II 220 *imparibus . . modis* A
317 — *si tanta potentia rerum est* (i. cl.)	M. III 328 *si tanta potentia plagae* (i. cl.)

355 *cinerem stipulamve*	F. IV 725 *cinerem stipulasque* A
369 *nec te decipiat stolidi mendacia vulgi*	Ep. XV 55 *nec vos decipiant blandae mendacia linguae* A
374 *rumpat iter*	Am. III 6, 88 *rumpis iter* A
410/11 *duransque tenaci saepta fide*	Am. II 6, 14 *longa tenaxque fides* A
418 *vivax ... virtus*	Pont. IV 8, 47 *vivax virtus* A
569 *operosaque ... templa*	M. XV 667 *templa .. operosa* A
572 *veteris mendacia famae*	Am. III 6, 17 — *veterum mendacia vatum* F. IV 311 — *famae mendacia* A
574 *nunc iuvat* (i. i.)	Am. I 13, 5 *nunc iuvat* (i. i.) A
584 — *perfide Theseu* (i. cl.)	F. III 473 — *perfide Theseu* (i. i.) (cf. Cat. 64, 132) A
588 *hospita tectis*	M. XV 15 — *inhospita tecta Crotonis*
601 *artificis naturae* (i. in.)	M. XV 218 *artifices natura* (i. i.)
618 — *illum sua carmina tardant*	M. XIV 357 — *nec me mea carmina fallunt* [1]).

Horum locorum seriem contemplato mihi verisimile videtur auctores inter se contingere; imprimis innitar locis ad v. 20 allatis, de quibus Sudhaus iam egit. Qui, quamquam et verba consentiunt et sententiarum conexus similis est — et Aetnae auctor et Amorum malos esse testes poetas cantant et in eo congruunt, quod *exit in immensum fecunda licentia vatum* (cf. Aetn. v. 29 — *fallacia vatum)* —, tamen alterum ab altero pendere negat. Sed quod affirmat, credibile non esse hunc poetam ex eo Nasonis carmine, quod ad iocos spectat amatorios, versus suos acerbos desumpsisse, sententiam impugnat, quam vix quisquam tuebitur; nam concedendum est fontem harum Aetnae partium, quibus poeta confirmat fabulas mythologicas et decantatas et vatum licentia fictas esse, alium atque Ovidi versus fuisse; cogitandum certe de genere sermonum, qui Graece διατριβαί vocantur, in quibus poetas in hunc modum saepissime vituperatos esse

[1]) Hildebrand, Anal. in Aetn., Mus. Rhen. 1905 p. 573.

notum est. Iam quid tam facile intellegitur quam scriptorem, cum aliud exemplar secutus de re quadam ageret, quam nonnullis versibus praeclaris etiam Naso attigerat, ad hunc poetam elegantissimum adlusisse? Certe si nihil simile esset praeter clausulas quasdam, dicere possemus deberemusque e talibus sententiolis in monetarum modum divulgatis certam coniecturam provenire non posse. Loco autem laudato paene totum Aetnae versum ex Ovidi verbis componi posse Sudhaus ipse suo iure pronuntiat (p. 97). Sed dixerit quis Ovidium Aetnam respicere. Quod et per se credi vix potest, cum tanta elegantia hoc carmen non sit, ut dignum videatur, quo poeta ille exemplari utatur, et versibus utriusque comparatis refellitur; nam Nasonis: *Protea quid referam Thebanaque semina dentes?* (v. 35) optime intelleguntur, cum mire et audacter alter elocutus sit, quem pro *sparsumve in dente semen* figura illa usum, quam appellamus: ἐναλλαγή, dixisse: *sparsumve in semine dentem* mihi Hildebrand persuasit[1]).

Quae omnia si recte explanata sunt, Aetna post a. 17 p. C., quo Ovidius mortuus est, orta videtur esse.

Jam inspiciamus carmen de Astronomicis, quod quo iure in plerisque libellis Manilio attributum sit, incertum est; cuius quantum video hi loci cum Aetna comparandi sunt[2]):

Aetn. 13 *flueret Bacchus*	Man. III. 153 *Bacchum . . . fluentem* Birt[3])
19 *impositam et* (i. in.)	III 114 *imposita et* (i. in.)
46 *ima per orbes squameus intortos*	I 433 *convolvens squamea terga orbibus insurgit tortis* A
67 — *materque iacentes* (i. cl.)	II 255 — *semperque iacentes* (i. cl.)

---

[1]) V. d. exemplo utitur Maniliano; poeta ille V 224 dicit: ***lingua rabit et dentes in voce relinquit*** pro ***voces in dente relinquit*** (Beitr. p. 9). Ellis, ut Aetnae locum explanet, Livii enuntiatum laudat: ***in una urbe ceperitis universam Hispaniam,*** quod exemplum non quadrat nisi putamus figuram illam adhibitam sententiamque intellegendam esse: ***in dente semen.*** Contra Scaliger, cum aliter sentiret, scripsit: ***semina.***

[2]) In Manilii versibus afferendis editionem sequor, quam novissime Theod. Breiter (Lipsiae 1907) curavit.

[3]) Philol. 1898 p. 616.

74 — *vulgata licentia famae*	I 750 *famae vulgata vetustas*	
84 *quidquid et interius*[1])	IV 276 *quidquid et in* (in in.)	
96 *non fossae solido desunt*[2])	I 110 *frigida nec calidis desint . . spiritus aut solidis*	
98 *exiles suspensa vias agit (sc. terra)*	I 180 *sed media suspensa manet (sc. terra)*	
103 *in maria ac terras et sidera*	I 488 *et maria et terras et sidera*	H
104 — *deseditque infima tellus*	I 159 *ultima subsedit . . tellus*	S

[1]) Facere non possum, quin de hoc versu miserrime tradito loquar. Quae in libellis extant, sensu carere apparet: *quidquid et interius falsi sibi conscia* (*consortia* r Ar.) *terrent;* nam Sudhausi, qui unus haec servavit, interpretationem nemo erat qui amplecteretur. Itaque multis modis locum sanare studuerunt vv. dd.; quod aliter fieri non posse nisi toto versu, qui intercidisse videretur, restituto Munro et Buecheler iudicaverunt, Birtio suadente Vessereau cum nonnullis Italis: *terra* legit et *est* addito hanc sententiam nuncupavit: *et quidquid falsi terra sibi conscia est.* Cui non adstipulor; neque enim interest auctoris explanare terram falsi sibi consciam esse, sed vates illos, quos vituperat, mendacia effundere, quamquam non ignorent res veras non esse. Atque hunc sensum, quem equidem desidero, mutatione facillima efficere mihi videor. Pro codicum lectione *consciaterrent* scripserim inducto verbo huius argenteae fere latinitatis *conscii acervant;* littera *c* et *t*, *r* et *v* (quae paene pares erant in scriptura Langobardica) sexenties confunduntur; unum *i* altero praecedente facillime omitti potuisse nemo non intellegit; quare nihil muto, nisi quod pro syllabae ultimae littera *e* instituo: *a*. Sententiam autem sic explicaverim: *et quidquid interius [esse narratur], falsi sibi conscii acervant.* „Was alles da drinnen sein soll, das türmen sie (sc. die Dichter) auf, wiewohl sie sich der Unwahrheit bewußt sind."

[2]) Versus in libris CS sic legitur: *non totum et solido desunt namque omnis hiatu* etc. Quod cum pravum sit, pro *desunt* Vollmer coniecit *densum est*, quod reiciendum videtur, quia interest inter solidum et densum (densissima corpora non plane solida esse e v. 541 discimus, cf. Hildebrand l. l. p. 27). Quare Gercke haec proposuit (in Nat. Quaest. editione): *non totum solidum et densum;* equidem cum persuasum habeam verba *solido desunt* recte legi, pro *totum et* instituere coner: *fossae*, quod vocabulum paene eandem saepe habet significationem atque *canalis*.

118 *tantos emergere fontes* (i. cl.)	I 116 *tantas emergere moles* (i. cl.)
144 *tu modo subtiles animo duce percipe curas*	III 43 *Nunc age subtili rem summam perspice cura* A
155 — *solido si staret in omni (sc. tellus) ... in pondus conferta immobilis esset.*	I 285 *nec vero e solido stant robora corporis illi nec grave pondus habet*
160 — *vastosque recessus* (i. cl.)	IV 613 — *vastoque recessu* (i. cl.)
173 *si fas est credere*	III 553, IV 896 *credere fas est* A
181 *hinc vasti terrent* (i. i.)	V 585 *hinc vasti surgunt* (i. i.) A
224 *non oculis solum pecudum miranda tueri*	I 194 *nec vero tibi natura ad miranda videri*
230 — *aeterno religata est machina vinclo*	III 55 — *aeterno religatus foedere mundus* S
235 *scire vices etiam signorum et tradita iura*	I 806 *signorumque canam fatalia carmine iura* A IV 209 — *et condita iura* (i. cl.)
236 — *totidem cum luce referri* (i. cl.)	I 244 *et cum luce refert* IV 431 — *totiens sub lege referre* (i. cl.)
237 *nubila cur* (i. i.)	I 99 *nubila cur* (i. i.) A
247 *quo vocet Orion* (i. i.)	V 12 *hinc vocat Orion* (i. i.) S
256 *Jovis errantem regno perquirere*	IV 908 *inquisitque Jovem* S
258 *torquemur miseri* (i. i.)	IV 2 *torquemurque metu* (i. i.) A
291 *seu fortes flexere caput tergoque feruntur*	III 320 *consurgunt supraque caput terrasque*[1] *feruntur*
307 — *potentia rerum est* (i. cl.)	I 36 — *potentia rerum* (i. cl.)
325 — *involvensque suo sibi pondere vires*	I 870 *involvitque suo* I 34 — *pondera vires* (i. cl.)

[1]) Pro hoc verbo omnibus codicibus tradito Breiter coniecit: *subterque*; equidem lectionem libellorum servari posse arbitror.

331 — *remeare notandas* (i. cl.)	III 203 — *rem corde notandam* (i. cl.)	S
332 *res oculis locus ipse dabit cogetque negari*	I 702 *sponte sua seque ipse docet cogitque notari*	S
401 *sibi vindicat*	II 188 *sibi vindicat* (i. ead. v. s.)	S
439 *in breve mortales* (i. i.)	I 825 *in breve vivit opus* (i. i.)	S
490 *nunc silvas rupesque notant*	V 228 *nec silvas rupesque timent* (i. ead. v. s.)	A
527 *multis color ipse refellit*	IV 759 *hoc color ipse docet*	S
529 *perque omnia*	I 213 IV. 160 *perque omnia* (in ead. v. s.)	S
549 *nec locus ingenio est; oculi te iudice vincent*	I 887 *nec locus* (i. i.)	A
	I 300 — *iudice vincit* (i. cl.)	
579 —*raptumque profundo* (i. cl.)	V 435 — *rapta profundo* (i. cl.)	A
590 *Troiae cineres*	I 511 *Troianos cineres*	A
632 — *mediumque exire per ignem*	IV 578 *medios . . libet ire per ignes*	A
637 *felix illa dies*	V 569 *felix illa dies* (cf. Cir. 27, L. Pis. 159)	A
643 — *carmina vatum*(i.cl.)	II 142 — *carmina vatis*(i.cl.)	A
644 *illos seposuit claro sub nomine Ditis*	II 437 *condidit et varias sacro sub nomine vires.*	

Jam cernimus et locorum magnum numerum nec viles similitudines; itaque cum Sudhausio aliisque vix posse dubitari arbitror, quin alter alterius rationem habeat. Rursus igitur enucleandum est, uter alterum imitatus sit. Vestigia pauca quidem exstant, quae si sequimur, eo perduci videmur, ut iudicium de hac re ferre liceat. De una ratione Birtius iam monuit (in Philol. 1898 p. 608), cum de v. 529 dissereret. Hic enim mira verborum collocatione facta pro *eademque per omnia* legimus: *eadem perque omnia*, quod quamquam etiam alibi voculam *que* loco auctor mutavit, tamen in hoc versu satis durum est, quia nominativo feminini autecedente enuntiatio minus perspicua est; neque auctor ratione metrica voculam transponere coactus est. Ut hanc

removeret offensionem, Vessereau lectionem uno tantum codice traditam, quae certe coniecturae debetur neque ulla auctoritate est, in textu posuit: *eademque per omnia,* Neque vero causam habemus, cur libellos meliores relinquamus. Sed rem acute a Birtio eo explicatam esse censeo, quod poeta haec verba copulata *perque omnia* e Manilio desumpserit, apud quem in eadem versus sede bis ita occurrunt, ut verborum ordo rationi grammaticae respondeat.

At alii rationi ab Hildebrandio initae non assentior. Vir ille de Aetna optime meritus ad versum 13 *(ipse suo flueret Bacchus pede)* annotat (in Mus. Rhen. 1905 p. 570) suspicari licere, *unde poeta Bacchum suo pede fluentem adsciverit;* εἰρωνικῶς *nimirum abusum esse artificio Maniliano* V 238 sqq:

et te Bacche tuas nubentem iunget ad ulmos
disponetve iugis imitatus fronte choreas
robere vel proprio fidentem in brachia ducet
teque tibi credet semperque a matre resectum
adiunget calamis.

Nimia subtilitate virum doctissimum usum esse puto, cum talem inter hos locos rationem intercedere sibi persuaderet. Verum ab antiquissimis temporibus Bacchus saepissime pro vino metonymice adhibetur, neque igitur mirum est, quod fluere dicitur (cf. Manili III 153); quod autem eum *pede* fluentem poeta fingit, fortasse recordatus est de Culicis verbis *pede labitur unda.*

Similitudinem autem talem, e quali aliquid lucramur, exstare affirmaverim inter Aetnae v. 144 et Manili III 43; cuius cum enuntiatio apta et dilucida sit, Aetnae locus offensione non caret. Haec enim leguntur:

tu modo subtiles animo duce percipe curas.

Quod editores hanc sententiam plane non explicaverunt, dolendum est; Sudhaus verbum: *curas* ita transtulit: Gedankenzusammenhänge (Vessereau: *questions,* Ellis: *investigations);* neque vero alium novi locum, quo illud vocabulum [1]) hanc

[1]) Saepe componuntur *curae et cogitationes,* sed ubique ita, ut cura sensum cogitandi praebeat; lingua vernacula usis nobis non: „Gedankenzusammenhänge", sed „das Nachdenken, die Erwägung als Handlung" vertendum est. Eiusmodi curas „molimur" (cf. v. 24) vel

habeat significationem. Causam, rationem, argumenta vel talia *percipimus*, non *curam;* quam ob rem Jacob scribere voluit: *causas*. Neque vero mutandum esse arbitror, sed miram dictionem imitatione Maniliana effectam esse coniecerim.

Prope ad Manilium (V 12) hic poeta v. 247 accedit: *quo vocet Orion*, si lectionem Gyraldinam sequimur, quam Sudhaus in contextum recepit, cum Ellis et Vessereau secundum ceteros codices scribant: *volet*. Equidem priorem lectionem praeferam, cum de signis eum verba facturum esse, quibus nautae utuntur, versu 246 cognito expectemus; si haec lectio recta est, sine dubio obiectum est *nautas*. Quamquam ita commodus sensus efficitur, tamen idem verbum vocandi in Manilii enuntiato aptius adhibetur; poeta enim alium iam finem facturum fuisse asseverat, sibi autem pergendum esse, cum mundus iubeat se toto caelo decurrere, cum hinc Orion se vocet, illinc Anguis. Nil tam facile subaudiri quam pronomen personae primae notum est; facillime igitur astrologi sententia percipitur et vim quamdam, ut mihi videtur, maiorem quam ille locus Aetnae habet. Itaque hunc poetam verba ex Astronomicis hausisse putaverim.

In talibus rebus, quae magis sentiuntur quam mente percipiuntur, hominum iudicia in contrarias partes abire posse haud ignoro; mihi quidem his locis examinatis verisimile videtur esse Aetnam post Astronomica conditam esse. quando libri de Astronomicis scripti sint, nondum satis exploratum est; certe aut postremis aevi Augustei annis aut Tiberio imperatore compositi sunt [1].) Si prior sententia recta est, nihil novi de Aetna discimus, quoniam carmen post Ovidi mortem factum esse supra iam collegimus; si altera, iam paulo propius ad medium saeculum primum p. C. n. terminus ille movetur [2]).

„suscipimus", non „percipimus", fortasse in poetae de Manilio recordati versu praepositio *per* pro illa irrepsit. — Exitus versus traditus loco quodam Statii a Jacobo allato defendi videtur: ***animo et fortes castrorum concipe curas*** (Silv. V 2, 127).

[1]) Terminus ultimus non dubitandus a. 9 p. Chr. n. est.

Persio ut satirarum scriptore omisso unus relinquitur huius saeculi poeta heroico versu usus, quem ut Aetnae auctor respiceret, per rationem chronologicam fieri potuit, Lucanus; eos huius scriptoris versus, quibus de Aetna admonemur, liceat enumerare.

Aetn. 12	*complerent horrea messes*	Luc. III 66	*Longinquis messibus .. compleruntt horrea terrae*	H*)
41	*vivaces — ignes*	III 682	*ignis vivax*	A
43	*temptavere nefas olim detrudere mundo*	VI 317	*temptavere suo comites devertere magnum*	
51	*impius et* (i. i.)	VI 150	*impius et* (i. i.)	
53	*provocat admotisque terit iam sidera*[1] *signis*	I 395	*evocat et Romam motis petit undique signis*	
56	*incursant vasto primum clamore gigantes*	VI 69	*ut primum vasto saeptas videt aggere terras*	
59	*— fulmina nubes* (i. cl.)	VII 154	*— fulmina nubes* (i. cl.)	
61	*in commune* (i. i.)	I 6	*in commune* (i. i.)	
73	*— exspirat faucibus ignem* (i. cl.)	VI 239	*excepit faucibus ensem* (i. cl.)	
74	*vulgata licentia famae*	IX 622	*vulgata per orbem fabula*	H*)
78	*Ditis pallentia regna*	I 455	*Ditisque profundi pallida regna*	S
86	*nec metuunt oculos alieno admittere caelo*	VI 650	*quo non metuant admittere manes tartarei reges*	
117	*— credit inanes esse sinus penitus*	III 459	*— telluris inanes concussisse sinus*	

²) Ovidium Maniliumque ab Aetnae auctore adhibitos esse Bücheler quoque videtur censuisse, quippe qui ***conscriptum Aetnae carmen post Ovidium et Manilium*** doceat (Mus. Rhen. 1899 p. 7).

*) Hosius in Mus. Rhen. 1893 p. 397.

[1]) **Ita versum Sudhaus correxit.**

Aetn. 124 *[flumina] . . . aut illa vorago direpta in praeceps fatali condidit ore, aut occulta fluunt tectis adoperta cavernis atque inopinatos referunt procul edita cursus*	Luc. IV 98 *iam flumina cuncta condidit una palus vastaque voragine mersit.* III 262 *occultosque tegit cursus*
199 *exustae . . arenae*	IX 715 *exustis . . arenis* (in ead. v. sede)
203 — *miratur Juppiter ignes*	VI 464 — *Juppiter urguens miratur*
205 — *bella gigantes* (i. i.)	I 36 (= Sen. Or. 242) — *bella Gigantum* (i. cl.)
207 *putris arena*	VIII 830 *putres arenas* A
275 — *maxima merces* (i. cl.)	II 655 — *maxima merces* (i. cl.) S
280 *caelestes migrasse minas* (i. i.)	V 608 *non euri cessasse minas* (i. i.)
292 *praecipiti deiecta sono* (i. i.)	VI 50 *praecipiti deducta polo* (i. i.)
396 — *sine nomine saxa* (i. cl.)	IX 973 — *sine nomine saxum* (i. cl.)
506 *scintillae procul ecce* (i. in.)	VI 214 *Dictaea procul ecce* (i. i.)
512 — *fabula mendax* (i. cl.)	X 282 — *fabula mendax*
553 *nec sufferre potest* (i. i.)	VII 107 *et differre potest* (i. i.)
582 — *variis spectantur Athenae* (i. cl.)	V 528 — *veteres laudantur Athenae* (i. cl.)
630 *parcite, avara manus, dites attollere praedas*	VII 659 *parcite, ait, superi cunctas percurrere gentes* [1])

[1]) Supra duos locos non commemoravi, utpote quorum similitudo fortasse multis minoris esse momenti videatur; sed confiteor unum de altero valde me commonuisse. Habemus has enuntiationes eodem modo vocula *seu* interposita quadripertitas

Aetn. 110 *sive illi causa vetustas nec nata est facies: (I) seu liber spiritus intrat*	V 131 *muto Parnasos hiatu conticuit pressitque deum, (I) seu spiritus istas*

Iis locis, quos ante hos quattuordecim annos Hosius collegerat (quorum partem ut similitudinis minoris omisi), doctissimus ille vir imitationem non probari iudicaverat; compluribus locis a me adiectis adhuc dubius haereo, utrum ei assentiar an non. Verisimilius autem putaverim, alterius opus alteri innotuisse; neque vero uter prior fuerit, ex his locis diiudicare audeo.

Quare iam pergamus ad eam quaestionem tractandam de qua multi adhuc viri docti disseruerunt, utrum Senecam auctor Aetnae noverit an vicissim ille hunc poetam respexerit an carmen ei ignotum fuerit? Ac primum quidem inquirendum in tragoedias, quarum rationem habuisse poetam, de quo agimus, Birtius contendit; Aetnae enim versus 76 sqq.

plurima pars scenae rerum est fallacia; vates
sub terris nigros viderunt carmine manes (et sqq.)

ad philosophi Herculem Furentem referendos esse opinatus est, qui e Tartaro revertit; in qua fabula et de inferorum iudiciis (v. 730 sqq.) et de hominibus illis nefariis (v. 750 sqq.) auctor loquitur. Hoc argumentum nihil valet, nam paene omnes philosophos in illa *portenta poetarum* invectos esse notissimum est. Quare haec mittamus et, num loci exstent similes, quaeramus. Quos frequentes esse non posse consentaneum est; nam et res et forma ab utroque adhibita plane diversae sunt.

31 — *resonare cavernis* (i. cl.)	Thy. 579 — *resonat cavernis* (i. cl.)
54 *Jupiter et caelo metuit*	Phaedr. 1245 *metuens caelo Jupiter* S
69 *tum Liber cessata venit per sidera*	H. Fur. (de Hercule) *nec in astra lenta veniet ut Bacchus via*

---

et fugiens molitur iter. (II) seu nympha perennis	*destituit fauces mundique in devia versum*
edit humum limo furtimque obstantia mollit,	*duxit iter, (II) seu, barbarica cum lampade Python*
(III) aut etiam inclusi solidum vicere vapores	*arsit, in immensas cineres abiere cavernas*
atque igni quaesita via est; (IV) sive omnia certis	*et Phoebi tenuere viam. (III) seu sponte deorum . . . . . .*
pugnavere locis	*(IV) seu Paean . . . . .*

88 [vates norunt] . . *coniugia et falsa quotiens sub imagine peccet*	Phaedr. 274 (de amore) *iubet superos vultibus falsis habitare terras*
Taurus in Europen; in Ledam candidus ales	300 sq. *ipse qui caelum nebulasque ducit,* *candidas ales modo movit alas*
94 *quacumque immensus se terrae porrigit orbis*	H. Oet. 4 *quacumque Nereus terras porrigi vetat*
112 *et fugiens molitur iter*	Oed. 1019 *luminis orbus molitur iter*
205 [Juppiter metuens fingitur]	H. Oet. 1141 [Jovem metuere Hercules iubet]
. . *neve sepulta novi surgant in bella gigantes* *neu Ditem regni pudeat neu Tartara caelo* *vertat in occulto*	*laxabit atri carceris iam iam fores* *Pluton superbus, vincula excutiet patri* *caelumque reddet . . . surget Enceladus ferox*
	Thy. 805 — *bella gigantes* (i. cl.)
233 — *sidera currant* (i. cl.)	Phaidr. 331 — *sidera currunt* (i. cl.)
574 [Thebarum] *moenia . . . quae fratres, ille impiger, ille canorus* *condere*	H. F. 266 *cuiusque muros gnatus Amphion Jove* *struit canoro saxa modulatu trahens,*
577 *invitata piis nunc carmine saxa lyraque*	*sed convocatus vocis et citharae sono* *per se ipse summas venit in turres lapis.*

Inter hos locos similitudo maxima ea est, quae ad Aetnae v. 94 pertinet; non solum verba ita consentiunt, ut alterum alterius versum in aliud metrum redegisse paene dixerim, sed etiam similem locum versus obtinent, cum versus ille initium eius Aetnae partis efficiat, qua materiam suam disserere auctor coepit, alterius autem enuntiatum in primis fabulae versibus exstet. Eiusdem fabulae versum 1141 ad Aetnae 205 sqq. adnotavi, non quod verba concinant, sed quod cogitata paria sunt. Locos laudatos quamquam

non nimis presserim, tamen nos suspicari posse putaverim Senecam tragicum cum Aetnae auctore artius cohaerere. Uter alterum respexerit, dubium esse non potest, cum philosophus ille Aetnae notitiam non habeat, id quod inde elucet, quod eius in Naturalibus Quaestionibus mentionem non facit.

Ad hos ipsos libros iam pergamus. Quomodo fieri potuit, ut Seneca, cum eos conficeret, carmen nostrum plane ignoraret, unde sane versus aptissimos afferre potuit? Hoc duabus rationibus explicari posse Sudhaus recte iudicavit: aut Annaei temporibus poemation illud oblivione iam obrutum erat aut nondum exstabat; quarum sententiarum priorem doctissimus ille vir tutatus est. Hoc autem iudicium propterea ferre potuit, quod paene totius saeculi spatium intercedere inter tempora, quibus utrumque scriptum esset confectum, persuasum habuit. Sed cum supra non sine probabilitate collegerimus Culicem Ovidium Manilium ab Aetnae auctore adhibitos esse, cum eo facere non possumus; carmen enim post a. 17 p. Chr. n. conditum, quo agebatur de eadem materia, quam Cordubensis ille bis tractavit, ignotum fuisse ei, quem novem annis post volumen de motu terrarum edidisse ex ipso accepimus[1]), quis est qui credat? Verum si libellus inter annum 17, quo vicesimum unum annum Seneca agebat, et a. 62/3, quo Naturales Quaestiones composuit, natus esset, certe philosopho innotuisset et ab eo laudatus vel commemoratus esset. At cum eum ignoret, disceptationes illas ante carmen de Aetna monte confectas esse concludendum est.

Haec argumentatio, ut mihi quidem videtur, etiam tum valeret, si similitudines maiores utriusque scripti deessent; gaudemus tamen, quod non raro congruentia cum verborum tum sententiarum detegitur. Quam qui post Senecam carmen scriptum esse negant, ea re removeri posse censent, quod eodem fonte uti auctores dicunt. At ex eis Wagler (p. 61) iure mihi videtur quaesivisse: quonam ex fonte? Neque enim de eodem fonte sermo esse potest. Hoc iam inde elucet quod diversam materiam scriptores tractant, cum alter de motu

---

[1]) N. Qu. VI 4.

terrarum, alter de ignium Aetnaeorum eruptione disserat; praeterea sententiarum discrepantia evincitur: nam cum Seneca terrae tremorem spiritu in cavernis ingentibus concepto effici explanet, alter de venis tantum et foraminibus loquitur, per quae currant venti (cf. Sudhaus p. 80). Quare quamquam Senecae disceptationem ad alium auctorem recedere atque Aetnam non probatur, tamen non eundem physici cuiusdam — sive is Posidonius sive Asclepiodotus est — librum et Senecae et scriptoris, quem tractamus, exemplar fuisse apparet. Itaque qui similitudines fonte adhibito explicare volunt, et Senecam auctoremque Aetnae accuratissime se ad exemplarium verba applicasse et libros, e quibus sua hauserunt, tantopere inter se consensisse ponere debent, ut scriptor ille Graecus se ipsum respicere videretur; quod mihi quidem speciem probabilitatis prae se ferre non videtur.

Sed quaesiverit a me quispiam: quas maioris momenti similitudines detexisti? Jam accedam ad hanc quaestionem saepe institutam. Ac locos utriusque scriptoris, qui comparandi sunt, Jacobo Munrone aliis praeeuntibus composuerunt Wagler in dissertatione et Sudhaus in commentario et nuperrime Gercke in testimoniis ad Naturalium Quaestionum editionem[1]) additis, ubi similitudinibus antea patefactis non paucae ab editore adiectae sunt.

Similitudines autem, quae occurrunt, non solum ad doctrinam geologicam, sed etiam ad ceteras sententias ab Aetnae auctore prolatas pertinent. Uterque enim in poetas, qui inferorum finxerunt formidines invehitur, uterque fragores et motus deorum opus non esse affirmat; uterque homini praecipit, ut cognoscat naturam neve, quia solita sint, ea transeat, quae ante pedes sint. Animo autem nos hanc naturam contemplari debere, non oculis exponunt. Ne pavescamus ad fragorem, inquirendum esse in causas; timendi enim causam esse nescire Seneca dicit. Uterque avaritiam castigat et langa per maria terrasque itinera inutilia ducit; nec minus astrologiae operam navandam esse censet.

---

[1]) Editio (Bibl. Teubn. 1907) etiam indice horum locorum instructa est.

Sed cum talia enuntiata etiam apud alios scriptores saepius occurrant, ex eis nihil certi potest effici. Quare iam videndum est de rebus geologicis. In quibus pertractandis quasi regulam hanc sequuntur sententiam: inde quod supra terram cernimus, colligendum esse confidunt ad ea, quae infra terram sunt. Quod his exprimunt verbis:

302 *credendum est etiam ventorum existere causas sub terra similes harum, quas cernimus extra.*

N. Q. III 16, 4 *Sunt et sub terra minus nobis nota iura naturae, sed non minus certa; crede infra, quidquid vides supra.*

His sententiis similitudinem etiam verborum haud parvam inesse iure Wagler pronuntiavit; Alzinger autem hanc explicandam esse contendit e communi fonte: Lucretio, apud quem haec leguntur.

VI 536 *in primis terram fac ut esse rearis*
supter item ut supera ventosis undique plenam
speluncis.

Sed multo artius secum congruere Aetnae auctoris et Senecae verba quam cum Lucreti versibus patet neque hac ratione infractum est iudicium, quod tulit Wagler: *hoc loco nil nisi Senecae sui verba pedestria in versus hexametros redegit poeta.*

Jam ex eis Aetnae partibus, in quibus doctrinam geologicam auctor exhibet, nonnulla eligam, quae commune quid habere cum Seneca videntur.

Ac primum quidem poeta exponit terram canalibus perforatam esse, quod quamquam compluribus Naturalium Quaestionum locis explicatur, tamen simillime in l. V c. 14,1 legitur. Conferas velim haec:

96 *non fossae solido desunt namque omnis hiatu secta est omnis humus penitusque cavata latebris exiles suspensa vias agit*[1])

V, 14,1 *Non tota solido contextu terra in imum usque fundatur, sed multis partibus cava et „caecis suspensa latebris"*[2]).

[1]) De contextu v. 96 supra (p. 31) disserui.

[2]) Adnotaverunt vv. dd. ad hunc locum Ovidi Met. I 388 — *caecis obscura latebris*; sed cum sensus plane alius sit (de verbis enim loquitur poeta), fieri potest ut philosophus Vergilii versum in animo habuerit (aut A III 232 — *ca·cisque latebris* i. cl. aut III, 424 *Scyllam caecis cohibet spelunca latebris*).

Nonne vides magnam verborum ipsorum congruentiam?

Deinde tellurem poeta comparat cum animali, id quod saepius in philosophi libris occurrit.

In insequentibus auctor narrat, quibus causis terrae *raritas* orta sit, quarum una est:

111 *sed liber spiritus intra*
effugiens molitus iter.

Hic textus, quem codices C S praebent, vix potest servari. Nam primum verbum finitum secundum verba quae sequuntur: *edit, mollit*, etiam hic desideratur, deinde cum nondum ad finem perductum esse opus auctor, sed etiam nunc sic agi cogitet, tempus praesens postulatur, tum mire videtur dici: *intra effugiens;* nam cum talia adverbia facilius ad verba quam ad substantiva referantur, primo aspectu ei, qui legit, auctorem dicere videri necesse est spiritum introrsus effugere; id quod sane ineptum est. Omnis removetur offensio coniectura Bormansii recepta, qui loco Senecae laudato (VI 14, 3 *vide ergo, numquid intret in illam spiritus ex circumfuso aëre)* ita scribere voluit:

sed liber spiritus intrat
et fugiens molitur iter [1])

Quibuscum etiam conferas philosophi enuntiatum VI 13, 4, ubi (vis frigidi) *fugiens ergo proxima quaeque remolitur* dicitur.

Porro auctor nonnullis argumentis probare studet terram lacunosam esse, id quod cum Seneca inde conicit, quod amnes magni nonnullis locis e profundo erumpunt. Comparentur haec enuntiata

117 *quis enim non credit inanes esse sinus penitus tantos emergere fontes cum videt . .*	VI, 7, 5 *iam vero nimis oculis se permittit . . qui non credit esse in abdito terrae sinus (sc. maris vasti)* VI 8, 2 *cum videas emergere iterum non minorem eo, qui prior fluxerat, (sc. Tigrim).*

[1]) Cf. p. 39 ad v. 112

Nonne, ex hisce concludere licet artius constrictos esse auctores?

Jam quod poeta de confluviis aptis loquitur, quae sub terra esse necesse est, compluribus locis eadem res a Seneca explanatur; deinde uterque mentionem facit fluminum, quae modo conduntur, modo redeunt. Cum Aetnae verbis: *aut illa vorago . . . condidit* conferre liceat illud Senecae: *[terrae motus] . . . modo operit, modo in altam voraginem condit.*

Spiritus vim eo maiorem esse uterque disserit, quo angustius inclusus est; contra *ventus, quamdiu nihil obstitit,* se solvit (*vires suas effundit* IV, XIII, 2 cf. v. 162:

namque illis, quaecumque vacant, cadit impetus auris[1])
et sese introitu solvunt).

Spiritum autem esse, quo terrae concussio efficiatur, uterque persuasum habet; nec differunt inter se in spiritu definiendo

213 *spiritus inflatis nomen, languentibus aer.*	II, 1 *spiritus aer agitatus,* cf. II, VII 3 *intentionem aeris tibi ostendent inflata* (et al.).

Cum mihi in animo non sit omnes similitudines enumerare, quae locis laudatis facillime inveniuntur, iam huius rei finem faciam; ac confitendum mihi est argumenta, quibus ante hos viginti quattuor annos Wagler usus est, infracta non esse; sed cum eo persuasum habeo *Aetnam conscriptam esse ab homine aliquo Senecae assecla et sectatore, qui eius*

---

[1]) Codices hanc exhibent scripturam:

namque illuc, quodcumque vacat hiat impetus omnis C S
namque illis quaecumque vacant hiatibus, omnis G

Neutra lectio percipi potest; quare loco coniecturis succurrere vv. dd. studuerunt. Neque vero requiescere possumus in eis, quae proposuerunt. Munro et Sudhaus Gyraldinum secuti, nisi quod *in hiatibus* scripserunt, versum insequentem intercidisse affirmaverunt, cum Ellis, qui uno verbo *vacat* in *vacans* mutato alteri libellorum classi se adiunxit, crucem apponeret. Sententia alia non potest esse atque: aurae nulla re impeditae vel inclusae vim suam perdunt; quare coniecerim: ***namque illis, quaecumque vacant, cadit impetus auris*** (simili clausula Lucanus usus est: — ***cadat impetus amens*** IV 279).

Naturales maxime Quaestiones probe legerat et adamaverat (p. 62).

Si omnia, quae ex argumentis in hac parte prolatis sequi videntur, paucis verbis complectimur, haec possumus statuere: Aetnae auctorem Vergili Ovidique opera Culicem Manilium Senecae Naturales Quaestiones respexisse verisimillimum est, eundem Lucanum et Senecae tragoedias novisse e locis comparatis suspicari licet.

Caput IV.

Jam pergendum est ad eam dissertatiunculae partem, qua de huius poetae elocutione pauca dicere in animo erat. Ac primum videamus de copia verborum. Nonnulla exstant in carmine verba, quae auctori communia sunt cum scriptoribus quibusdam aevi argentei, quod vocatur. Ac de vocabulis *commurmurare* (v. 299 Sil. Ital.), *sucosus* (v. 269, 535 Plin.), *emugit* (296 Quintil.) *lentities* (544 Plin.) iam admonuerunt vv. dd., alia addenda sunt.

In v. 372 legimus: *nec parvas mendicat opes;* verbum *mendicare* post Plautum cum accusativo, quantum scio, a Quintiliano solo copulatur (Decl. VI 24), nisi quod part. perf. pass. significatione occurrit transitiva apud Ovidium (Tr. V 8, 14 *cibo mendicato)* et Iuvenalem (X 277 *panis m.)*

Vocabulum *defectus* (v. 455 *cuius* [sc. lapidis molaris] *defectus ieiunos colligit ignes*) Vergilius ceterique huius aetatis scriptores ad astra decrescentia significanda adhibent; illo autem loco Aetnae lapidem molarem deesse indicatur. Hunc sensum verbum illud ante Plini tempora nusquam praebet, sed huius in Historia demum Naturali[1]) et postea nonnumquam ita usurpatur.

In v. 523 scriptum videmus: *securus ab illis;* adiectivum autem illud a Lucano Plinioque primis cum praepositione *ab* coniungitur[2]).

Jam in v. 542 corpora densissima vocantur, *solido vicina,* i. e. paene solida; haec quoque dictio aetati argenteae attribuenda videtur esse. Nam vicinus vel loco vel tempore

---

[1]) Velut XX, 96, 2, XXVII, 40, 3.

[2]) Cf. Thes. Ling. Lat. s. v. *ab.*

propinquus proprie est; significationem autem similitudinis, quae hoc loco exstat, nisi nonnullis Naturalis Historiae locis non reperiri e Forcellini lexico cernere licet[1]).

V. 584 poeta sic affatur Thesea: *excidit hic tibi . . . praemittere vela* i. e. oblitus es; saepe hoc significat verbum *excidit*, sed cum infinitivo, quantum video, ante Senecam (ep. 90, 33) et Quintilianum (II 3, 10) non copulatur.

Denique v. 609, quo loco auctor de aethere fulguribus illustrato dicit *aether fulgurat*, inspiciamus; non ante Silium Statium Plinium verbum significationem micandi habet; prioribus enim temporibus notionem tantum praebet emittendi fulgur, quod etiam ad eloquentiam translatum est.

Itaque compluria Aetnae verba[3]) aut omnino non aut non ea significatione, quae eis in Aetna est, inveniri nisi apud scriptores aevi argentei vidimus; illa aetate carmen confectum esse, quod supra aliis de causis coniecimus, hac re videtur confirmari[4]).

Sed fuerunt, qui contra elocutione poetae temporum vetustiorum notam indicari asseverarent, inprimis verbis in libris traditis *coritur* et *propala* innisi. Jam inspiciamus enuntiatum, ad quod verbum prius pertinet: in v. 407 de lapide molari haec exhibet auctor: *mobilis illi et metuens natura mali est, ubi coritur igni.* Hanc librorum lectionem Sudhaus in Aetnae editione retinuit, cui *côritur* idem erat atque *cooritur;* ex hac autem forma, cui componebat similia velut *coptari* etc., carmen tempori velustiori tribuendum esse conclusit. Neque vero recte; nam in codicibus etiam auctorum recentiorum hanc contractionem tradi velut *conquinatus* (= coinquinatus)

---

1) N. H. XXXIV, 41,2; XXI, 29,1; XXIV, 48,1, XXXVII, 41,1.

2) Sil. XII, 725 Stat. Theb. IV, 191.

3) Neque praeterierim dictionem *caelestes minae*, qua auctor v 280 utitur, praeter hunc locum apud Tacitum (Hist. I, 18, 2) et Florum (2, 8) occurrentem (cf. Sen. N. Qu. II, 49, 11 *caeli minas*).

4) Liceat afferre, quae de v. 328 (*veluti siphonibus actus*) Hildebrand disseruit (Mus. Rh. 1905 p. 570): „Sen. N. Qu. II 16 *in modum siphonis* Col. III 10 *velutiper siphonem* IX 14 *quasi per siph.* Plin. H. N. II 166 *siphonum modo* XXXII 12 *veluti per siphonem;* haec comparatio a Ctesibica machina (Vitr. X 7, cf. Isid. Or. XX 6,9) petita scriptoribus argenteae quae dicitur aetatis videtur arrisisse."

Birt[1]) exposuit. Praeterea lectionem codicum pravam esse puto; ne plane eam servaret, Sudhausio[2]) Birt persuasit, qui scribendum esse censet: *ubi coritur ignis*; certe lapis molaris petitur, ipse impetum non facit. Sed ne haec quidem quamquam bene intelleguntur, in textum receperim; nam aptior mihi videtur sententia effici, si subiectum est lapis molaris; neque vero rectum puto, quod in Italis legitur et ab Ellisio et Vessereau receptum est: *cogitur;* sermo enim est de pugna nondum finita, sed incipiente. Quam ab causam et coniecturam malam *corpitur* (= corripitur) Baehrensii et Alzingeri: *carpitur*[3]) meliorem reiecerim; mihi quidem hoc loco quam maxime idoneum videtur verbum: *roditur.* Quae cum ita sint, ex hoc versu de Aetnae aetate nihil discimus.

Alterum autem verbum in hoc legitur conexu: v. 530 sq. auctor se negare non posse asseverat etiam praeter lapidem molarem certos lapides interius ardere:

531 *haec propala virtus* C r Ar

Quae verba recte stare cum aliis Sudhaus et Stowasser[4]) censuerunt; uterque autem et in enuntiato interpretando et in forma *propala* explicanda diversas sententias protulit. Cum enim ille verba ad lapidem molarem referat ideoque enuntiatum priori adversum existimet (vertit: „allein die hervorragende Eigenschaft dieses Gesteins liegt deutlich zu Tage"), Stowasser poetam causam prioris sententiae afferre et pronuntiare putat: etiam alii lapides interius ardere negare non possum, nam hoc luculenter apparet. Utriusque v. d. explicatio offensionem movet. Contra Sudhausium dicendum est et verbo *haec* (nam pronomen *hic* ad proximum enuntiatum adnectendum esse solet) et versu insequenti *quin ipsis* etc. (qui haec legerit, sententiolam quoque antecedentem lapides illos attingere iudicabit) nobis persuaderi poetam de saxis illis loqui. Alteri autem obiciendum est poetam affirmare

---

[1]) Birt Philol. LVII (1898) p. 608, n. 10.

[2]) Gött. Gel. Anz. 1903 p. 540, eandem sententiam Hildebrand professus est (Beitr. p. 20 n.)

[3]) A. laudavit clausulam versus Vergiliani (Aen. IV 2): *carpitur igni*; eundem exitum in Ovidi M. III 90 exstare memoraverim.

[4]) Zeitschr. f. österr. Gymn. 1900 p. 386.

non potuisse lapidibus illis, qui ad incendia alenda minoris momenti sunt, *virtutem* inesse; neque enim hoc vocabulum nisi de perfectione quadam usurpatur neque est nostrum: „Eigenschaft". Quae cum ita sint, contextum traditum male intellegi asseverare licet. Ellis Vessereau alii cum Sloaniano et editione a. 1475 *propria virtus* scribunt; quod supra contra Stowasserum disserui, etiam in hos cadit: virtus non est *caractère* vel *special property,* sed singularis quaedam vis, quae sane lapidi molari (cf. 416), non ceteris inest. Cum neutram lectionem percipere possim, loco crucem apposuerim. Sequitur, ut vocabulo *propala* non nimis inniti debeamus. Duabus rationibus formam viri docti explicaverunt. Sudhaus eam ab adiectivo iam non servato *propalus* = πρόδηλος derivavit. Si hoc rectum est, certe nihil ex hac re de aetate carminis proficimus; nam talis forma et veteribus et recentioribus temporibus oriri potuit (fortasse ita ut homines in tali dictione, qualis *rem propalam facere,* iam non sentirent *propalam* adverbium esse et ex hac re profecti adiectivum propalus formarent). Aliter de vocabulo Stowasser iudicavit; nihil aliud esse *propala* nisi *propalam* littera m eodem modo omisso exposuit, quo in Enni versu notissimo

non eni rumores ponebat ante salutem.

Iam Birt apud Columellam verbum *propala* occurrere monuit; legimus enim in huius libro de arboribus (VII 2 ed. Lundstroem): *Virgam cum a matre deprimere voles, scrobem quoquoversus quattuor pedum facito ita, ut propala non laedatur alterius radicibus.* H. l. vocabulum adverbium ducendum videtur esse; quare Stowasseri enodationem verbi verisimiliorem putaverim. Sed perperam eum ex hac re conclusisse carmen temporibus vetustioribus tribuendum esse inde elucet, quod Columella eadem forma usus est. Si consideraverimus etiam verbum *propalare* posterioribus demum temporibus occurrere (Colum., Sidon., Claud Mam., August.), rem ita se habere in forma propala facile colligemus.

Iam perlustremus cetera, quae attulerunt vv. dd., ut carmen ante aevum argenteum conditum esse probarent. Ac primum quidem admonuerunt genetivum in — *ii* desinentem nondum in Aetna inveniri (Sudhaus p. 87). Quod

argumentum ipsum infirmum est; neque enim solum Manilium hunc exitum evitasse constat, sed etiam Persius et Martialis spreverunt[1]). Praeterea illud ob eam causam reiciendum est, quod vocabula in — *ium* cadentia non occurrunt nisi *silentium* et *incendium*, quorum genetivum auctor adhibuit; haec autem verba si exitu illo instruere voluisset, elisionem graviorem admittere coactus esset....

Quod Sudhaus nihil, quod posteriorum temporum notam praebeat, velut correptum *o* finale (vendo, virgo) inveniri affirmat, ei respondendum est neque hoc neque contrarium e carmine elucere. Nam quod in v. 10 *nemo* syllaba finali producta legimus, auctor cum multis aliis velut Manilio facit, qui hoc verbum nisi uno loco non corripuit[2]).

In v. 178 Sudhaus locativum post Terenti aetatem rarissime occurrentem *illi* exstare disseruit, neque vero lectio certa est, cum verbum Gyraldino solo tradatur (C: *illinc)*, neque probari potest locativum, non dativum esse[3]).

Idem v. d. aliam formam satis antiquam in carmine reperiri monuit; Gyraldinum enim apographum, quod vocatur v. 212 sic exhibet:

haec causae exspectanda ferunt incendia montis,

quae verba Sudhaus retinuit, nisi quod pro *exspectanda* scripsit *spectanda*. Si contextus recte sic constitutus est, facile fieri potuit, ut scribarum mendo illo notissimo, quod vocatur διττογραφία, unum *c* duplicaretur; haec autem lectio offensionem etiam ob significationem verbi *ferunt* movet, quod vix tolerabile esse ratus Birt corrigere voluit in *creant.* Sed cum textus codicis C facillima correctura adhibita *(hac* pro *haec)* optime stet, hunc cum Ellisio receperim:

hac causa exspectata ruunt incendia montis.

Neque inde quicquam posse effici, quod in libris melioribus v. 9 sic legitur:

aurea securi qui nescit saecula regis?

---

[1]) Ellis, ed. p. XXXIII sq., Birt, Philol. 1898 p. 604, Cramer, De Manilii elocutione (Argentorati) p. 5 n. 1.

[2]) IV 20 cf. Cramer p. 24.

[3]) Dativum esse Birt (p. 607) pronuntiavit, cum admoneret de v. 180.

Birt probavit, cum hanc pronominis interrogativi formam non solum a Valerio Flacco, cuius locum Sudhaus attulit, sed etiam a Seneca (Herc. Oet. 1365) Claudianoque (septies) usurpatam esse doceret (p. 607 n. 10.).

Sed contra tempra posteriora indicare videtur gen. obi. *sui*, quo bis utitur auctor (156 *daret . . spectaculi tellus;* 177 *[Aetna] sui manifesta fides);* qui frequens est in Senecae philosophi scriptis [1]).

Neque silentio praeterierim particulam *aut*, quamquam cum aliis particulis disiunctivis velut *vel*, *ve* omnibus temporibus coniungitur, cum particula *sive* non copulari ante Manilium, qui bis ita locutus est variandi causa (I 122 sqq III 149 sqq). Praeterea sibi respondent *sive* et *aut* in Senecae Hercule Oetaeo 577—81 et in Statii Silvis (II 1, 110 sqq); quibus locis ab Hildebrandio (Philol..56 p. 117) allatis addiderim [2]) Taciti Hist. V 7, 4. Quare haec variatio, quae in Aetnae vv. 102 sqq. exstat, magis posterioribus quam prioribus temporibus videtur placuisse.

Sed iam ad aliam rem transeamus. Saepius a viris doctis expositum est [3]) sermonem poetarum latinorum Vergilio plurimum debere, qui imprimis circumitum — περίοδον vocant Graeci — compluria membra coniunctionibus secundariis subiuncta amplexum non tam poetarum quam pedestri orationi convenire censuit ideoque evitavit. Illius normam poetae insequentium temporum adoptaverunt, ita ut hac ratione discerni possit, utrum ante Maronem an post eum carmen quoddam scriptum sit; ne Manilius quidem, qui, ceterum formae Lucreti sectator diligentissimus est, hanc legem repudiavit. Iam si in Aetnam inquirimus, huius quoque carminis auctorem hac in re discrepare a poetis vetustioribus velut a Lucretio Catulloque cognoscimus; neque enim tale enuntiatum apud eum invenitur quale Lucreti:

---

1) Obermeier, Sprachgebrauch des Lukan p. 47 „dem silbernen Zeitalter war der gen. obi. *sui* eigentümlich, welcher bei Nepos in *admiratio sui* sein Vorbild hat."

2) Cf. Thes. Ling. Lat. s. v. *aut*.

3) Skutsch Aus Verg. Frühz. (p. 65 sqq.), Norden Komm. zu Aen. VI (p. 369 sqq.).

VI 58 *nam bene qui didicere deos securum agere aevum*
si tamen interea mirantur, qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis,
quae supera caput aetheriis cernuntur in oris
rursus in antiquas referuntur religiones[1]).

Quae cum affirmo, sententias et longissimas et deformissimas in Aetna occurrere minime nego, cuius rei exemplum est causarum *raritatis* terrae enumeratio (vv. 102—117); id tantum contendo, auctorem enisum esse, ut enuntiationes coordinaret. Quae res tot probatur locis, ut longum sit omnes afferre; pauca exempla liceat nominare. Si descriptionem pugnae Gigantum (vv. 41—74) perlustraveris, quantopere poeta coniunctionibus demptis sententias conglutinare studeat, cernes. Praeterea si v. 181 (*hinc vasti terrent aditus merguntque profundo)* in sermonem pedestrem transferimus, sine dubio dicendum est: „aditus, qui profundo mergunt." Idem in vv. 371 sq. apparet; certe enuntiatum prius est principale — si cogitandi rationem examinamus —, cum duo insequentia secundaria sint; quae oratione soluta usis nobis ita adnectenda sunt: „non est divinis rebus tam sordida egestas, ut" etc. Multa etiam exempla talia extant, quae enumerare supersedeo; pro certo igitur puto auctorem Maronis secutum exemplar dedita opera enuntiata paria effecisse neque coniunctionibus secundariis copulavisse. Nihilominus elegans auctor non evasit, duabus ut puto de causis; primum enim materia, quam tractavit, tanta est difficultate, ut eam planam facere arduum sit; deinde auctor ille mirum in modum brevitatis appetens fuit[2]).

De singulari illa breviloquentia acute disseruit Hildebrand, qui de Aetnae genere dicendi perscrutando optime meruit; in disceptatione, quam: 'Beiträge zur Erklärung des Gedichts Ätna' inscripsit, diserte exposuit, quomodo cum Plinii senioris elocutione Aetnae dictio congrueret[3]) (passim, praec. p. 33 sq.).

---

[1]) Hoc exemplo Norden usus est.

[2]) Horatii illud mihi videtur in eum cadere
A. P. 25 *decipimur specie recti: brevis esse laboro, obscurus fio.*

[3]) De qua re etiam Birt admonuit.

Uterque scriptor *minutos sensiculos* adamavit, uterque permulta omisit, quae nobis subaudienda sunt, uterque coniunctionibus enuntiationes constringere saepe contempsit. Suo iure Hildebrandium iudicasse puto hanc generis dicendi similitudinem etiam tempora similia indicare videri et ea, quibus Quintilianus de quibusdam aequalibus dixit: *soluta fere oratio et e singulis non membris sed frustis collata structura caret* (VIII 5, 27). Optime praeterea v. d. commonefecit in Aetnae auctorem haud male convenire Senecae philosophi, quod de Lucilii amicissimi consuetudine dicendi tulit iudicium: *pressa sut omnia et rei aptata . . loqueris, quantum vis et plus significas quam loqueris* (ep. 59).

Quare statuere licet Aetnae auctoris elocutionem non modo non alienam esse ab argenteo aevo sed optime huic aetati convenire.

Caput V.

Iam mihi nunc scrutaturo, quid de Aetnae re metrica ad quaestionem nostram diiudicandam disci possit, praemonendum est me facere non posse, ut totam carminis rationem metricam cum arte a ceteris illius aevi poetis adhibita comparem; eiusmodi enim disceptatio compluria amplecteretur volumina talia, quale a Frankio confectum est[1]. Hic enim dissertatione diligentissima quae ratio inter Georgicorum et Aetnae rem metricam intercederet indagavit; atque post Georgica libellum hunc conditum esse probavit. Equidem ut investigare coner, num etiam plus ex hac re effici possit, nonnulla, quae mihi utilia videntur esse, eligam.

Ac primum quidem de versuum clausulis agendum est. Tres leges magis magisque apud poetas Romanos sanctas esse acute copioseque exposuerunt W. Meyer et Norden[2]. Prima lege cautum, ne vox monosyllabica versum clauderet; quomodo poetae latini observaverint hoc praeceptum, ex hac elucet tabella, cuius numeros partim ipse composui, partim e commentariis laudatis desumpsi. Auctorum nominibus numerum adscripsi versuum, in quos inquisitum est, deinde clausularum vocula monosyllaba effectarum numerum notavi, praeterea proportionem addidi.

[1]) Jos. Franke, De Aetnae re metr., Marp. 1898.

[2]) Wilh. Meyer, Sitz. d. Münch. Ak. 1884 p. 1033, Norden Komm. p. 420 sqq.

Lucretius (I 1—1000)	— 24,	2, 4	in centenis vv.
Cicero (700 vv.)	— 5,	0, 7	"
Catullus (797)	— 7,	0, 87	"
Vergili Buc. (800)	— 6,	0, 77	"
Georg. (2167)	— 19,	0, 88	"
Aen. I et II (1461)	—	0, 7	"
Germanicus (939)	— 5,	0, 53	"
Ovidi Met. II (875)	— 0,	0	"
Manili l. IV (935)	— 0,	0	"
Lucani l. II (736)	— 0,	0	"
Aetna (646)	— 1,[1])	0, 15	"

Quae si animo ponderaveris, concedes Aetnam proxime accedere ad Ovidi, qui primus legi illi plane respondit, et Manili et Lucani artem metricam, praesertim cum recordatus eris monosyllabum *cum*, quo Aetnae v. 562 clauditur, apud Lucretium non raro in versus exitu inveniri *(et cum* IV 242 e. a.; *aut cum* III 221 V 10, 71) ideoque imitatione Lucretiana excusari. Stabiliendum igitur est Aetnae auctorem in clausula monosyllaba evitanda facere cum Ovidio poetisque temporum insequentium.

Altera praescriptum est lege, ne verbum quattuor syllabarum in versus fine poneretur; versui igitur bono exeunti male convenire putaverunt tale quale: stabilibat. Quomodo huius praecepti rationem habuerint poetae, e numero versuum contra praeceptum conditorum cognoscere licet:

Lucretius VI (1284)	— 21,	1, 7	in centenis vv.
Cicero (700)	— 3,	0, 43	"
Vergili Aen. I et IV (1461)	— 7,	0, 5	"
Germanicus (939)	— 18,	2	"
Ovidii Met. III	— 0,	0	"
Manili l. IV	— 0,	0	"
Aetna (646)	— 1,	0, 15	(v. 98 — *utque animanti).*

Quod supra iudicavimus, etiam hac re videtur confirmari, magis cum Ovidio Manilioque quam cum ceteris poetis scriptorem consentire. Id exemplum unum, quod in carmine

---

[1]) Hunc Aetnae locum (562) Meyer praetermisit.

inventitur, effectum est Lucreti imitatione, qui nomen *animantis* saepius in versus exitu posuit ita, ut elisione cum verbo antecedenti coniungeretur (I 4; 802; 1032 e. al.).

Hanc regulam iure exposuerunt vv. dd. inde ortam esse quod homines antiqui eum versum improbabant, cuius arsis quinta efficiebatur syllaba vocabuli alicuius ultima; valde enim eis incisio gravis post hauc arsin facta displicebat. Quam ut vitarent, poetae recentiores operam dederunt; haec est tertia lex, ad quam eis versus formandi erant. Ac durissimum habitum est, si arsin illam, quae posita erat in syllaba vocis ultima, verbum tetrasyllabicum vel trium syllabarum longarum sequebatur velut in Lucreti v. I 672. — pari[5] ratione[6]. Talia in Lucreti l. VI semel in 428 vv., in Catulli 797 hexametris semel in 66, 4 vv., in Aeneidos ll. I et IV semel in 365 vv. occurrunt, cum nusquam inveniantur in Ciceronis Arateis, Ovidi Transformationum l. I, Manili l. IV (in ceteros utriusque scriptoris libros hac ratione inquirere supersedebam), apud posterioris aetatis poetas; ne in Aetna quidem huius rei exemplum exstat. Iterum hunc scriptorem eandem cernimus rationem amplecti, qua Ovidius et qui hunc sequebantur, usi sunt; quorum numero inserendus erit, neque enim quicquam ei cum Cicerone est commune.

Durum etiam neque tamen adeo durum duxerunt homines antiqui versum, in quo duae vel tres voces arsin quintam sequebantur; quam rem saepe apud Ciceronem Horatium Tibullum Germanicum legi Meyer docet. Lucretius autem multo rarius hunc exitum adhibuit (semel in vv. 428), Vergilius in Aeneidis ll. I. et IV nusquam, cum in libris postremo conscriptis raro ita eloqueretur. Ac rationem, quam in libris illis perpolitis Aeneidos usurpatam esse cognoscimus, auctores posteriores ut Ovidius Maniliusque et sequentes servaverunt, cum quibus scriptor, cui operam damus, fecit exitu tali nusbuam admisso.

Minorem movit offensionem monosyllabum in arsi quinta positum, quamquam etiam hoc paene evitabatur; si arsis haec monosyllabo formata erat, sequi poterant aut unum vocabulum (quattuor syllabarum vel trium longarum) aut duo aut tria

5 6
(velut Lucreti I 12 cum sit agendum e. al.). Ac monosyllabo arsis quinta efficitur verbo tetrasyllabico vel trium syllabarum longarum insequente

apud Lucretium semel in 111 vv. (l. I 1—1000 novies)
apud Ciceronem semel in 233 vv. (in 700 vv. ter)
apud Catullum semel in 797 vv.
librorum Vergili Aen. I et IV, Ovidi Met. I, Manili nullo loco.

In carmine autem, quod tractamus, versus 497 exitus sic traditur: — *et succernens*. Etiamsi recta esset lectio, pateret auctorem a Lucreti arte metrica longe abesse; neque plus liceret conicere de hac re, cum iam supra dixerim poetam saepius materia sua difficillima ad inelegantia perductum esse. Sed iure mihi Baehrens (P. L. M. II p. 115) vocem corruptam esse videtur iudicavisse; totus ille locus satis obscurus est, et cum doctissimo illo viro persuasum habeo versum intercidisse ante v. 498. Quare etiam verba *et succernens* quam maxime mihi sunt suspiciosa neque quisquam ex iis concludere ausim.

Sed iam videamus de monosyllabo, quod arsin quintam ita efficiat, ut duo vel tria verba sequantur; quod quotiens apud poetas Romanos occurrat, ex hisce numeris discendum est:

Lucretius I 1—1000	—	12, semel in 83, 3 vv.
Catullus (LXIV, 408 vv.)	—	2*, semel in 204 vv.
Cicero (575 vv.)	—	16*, semel in 36 vv.
Vergil Georg. (1461 vv.)	—	19*, semel in 85 vv.
Aen. VI. (900)	—	7*, semel in 129 vv.
Ovidius Met. III (730 vv.)	—	1 (v. 456) semel in 730 vv.
Manilius I (924)	—	2 (v. 429, 635), semel in 462 vv.
Lucanus III (762)	—	2 (v. 187, 193), semel in 381 vv.
Aetna (646)	—	2 (v. 456, 592), semel in 323 vv.

His numeris collatis elucet auctores, qui post Ovidium carmina sua fuderunt, quamquam eius elegantiam non assecuti sunt, tamen ab eo commotas esse, ut multo rarius quam Lucretius Catullus Cicero Vergilius hoc uterentur versus exitu. In quorum numero Aetna videtur esse, quae proxime ad Lucani usum accedit.

---

*) Hos numeros e Nordeni commentario (p. 436) desumpsi.

Vidimus ergo in versuum clausulis formatis auctorem Aetnae proxime accedere ad Ovidi Manili Lucani rationem; quare concludere liceat eum post Ovidium scripsisse, qui leges illas, quas enumeravi, accuratissime observavit.

Sed aliam rem Ellis prioribus temporibus aptiorem, putabat esse, rarius enim pausam post dactylum, qui pedem quartum formet, occurrere putat, quam posterioribus temporibus solebat. Sed conferantur hi numeri:

Catullus (LXIV 1—255)	—	0,	0
Cicero (480 vv.)	—	7,	semel in 69
Vergilius Georg. I 1—500	—	8,	semel in 62, 5
Aen. V 1—500	—	5,	semel in 100
Ovidius Met. VI 1—400	—	12,	semel in 33
Manilius I 1—500	—	3,	semel in 166
Lucanus VIII 1—400	—	9,	semel in 44
Aetna (646)	—	13,	semel in 49

Si quid ex hac re colligi potest — quod minime pro certo affirmaverim —, eiusmodi est, ut Ellisii sententia infringatur; nam si ad hanc tabulam spectamus, Aetnae auctorem consentire cum Ovidio Lucanoque magis quam cum aliis poetis apparet.

Iam ad aliam rem accedam: Trampe enim in dissertatione diligentissima, quam de Lucani arte metrica confecit, p. 35 sqq. perscrutatus est, quomodo nonnulli epici in vocibus ponendis se egerint, quae arsin quartam et quintam amplectuntur. Eadem ratione inquisivi in Lucretium Catullum Ciceronem Manilium Aetnam; atque ita se habent poetarum numeri:

Lucretius IV 1—646	—	6,	semel in 129 vv.
Catullus LXIV (408 vv.	—	6,	semel in 68 vv.
Cicero (480 vv.)	—	0	0
Vergilius Georg.			semel in 40 vv.*
Aen.			semel in 50 vv.*
Ovidius III VIII X			semel in 54 vv.*
IV XII XV			semel in 24 vv.*
Manilius V 1—646	—	6,	semel in 108 vv.

Lucanus	semel in 266 vv.*
Aetna (646)	2, semel in 323 vv.[1])

Quae si inspexeris, facile, ut puto, concedes hac in re maxime cum Lucano congruere poetam nostrum.

Sed transeamus ab hac re, quae parvi esse momenti fortasse non nemini videatur, ad eam, quae sane maiore pondere est, ad usum elisionum. Ac primum quidem persequar, quid ex frequentia elisionum in Aetna occurrentium videatur effici; quae res ut melius perspiciatur, columna prima expediam, quot elisiones inter centum versus inveniantur in Aetna et apud complures alios poetas, ceteris exponam, quot aut leves aut mediae (verborum in — m desinentium) aut graves elisiones aut aphaereses in centenis elisionibus legantur. Velim ergo inspicias hos numeros:

	In centenis vv. reperiuntur elisiones tot:	inter centenas elisiones sunt			
		leves:	mediae:	graves:	aphaereses:
Lucretius IV 1—400	40	60,1	14,4	15,5	10
Catullus (LXIV)	30	48	30	17	5
Cicero	25	48	24,8	15,7	11,5
Vergilius Georg. II	41	50,8	20	26	3,2
Aen. III	53	43	32,2	24,28	0,52
Ovidius Met. I	22,6	57,6	12,3	6,1	24
V	20,9	54,2	12,7	4,2	28,8
Manilius III 1—500	34	60,5	20,5	7,6	11,4
Lucanus I 1—500	13,2	71,2	15,2	0	13,6
Aetna	38,4	55	14,5	9,7	20,8

Qui animo ponderaverit hos numeros, eum duabus de causis Aetnam post Ovidium conscriptam esse crediderim iudicaturum esse. Quod primum mihi videtur coniciendum esse ex elisionibus gravibus admissis. Nonne vides quasi incisionem fieri post Vergilium, quod attinet ad hanc rem? Cum Lucretius cum Catullo Cicerone Vergilio numerum haud

[1]) Loci hi sunt: Lucr. 244, 287, 384, 626, 641; Cat. 20, 115, 141, 252, 319, 406; Man. 142, 149, 175, 319, 354, 598; Aetna v. 472 ***hinc indefessus anhelat*** (quod coniecturae haud malae Ellisii debetur, cum codices praebeant: ***hinc defensus (hic defessus*** r Ar); v. 539 ***nihil insuperabile gigni*** (Scaliger: ***ab igni)*** — Quae asterisco notavi, ex dissertatione illa (p. 38 sqq.) hausi.

parvum elisionum gravium praeberent, Ovidius, qua erat elegantia, has evitavit et perpaucas admisit; atque hunc poetam amoenissimum Manilius Aetnae auctor Lucanus sectati sunt, sed ita ut Lucanus severissimus esset. Neque aliud iudicium eum laturum esse persuasum habeo, qui animadverterit, quotiens aphaeresi usi sint poetae latini. Qua in re simillimum auctorem cognoscis esse Ovidio neque multum abesse a Lucano; a Vergilio autem quam maxime discrepat.

Jam monuerim de tabellis Eskuchii, qui de elisionibus ultimorum versus pedum in Mus. Rhen. disseruit (XLV p. 393 sqq.); inspice numeros ab eo allatos, concedes etiam hac ratione adhibita magis posterioribus quam prioribus temporibus Aetnam videri confectam esse.

Restat, ut pauca de caesurarum usu expediam. Frequentissimos esse eos versus, in quibus semiquinaria regnat, nemo mirabitur. Huic caesurae incisiones subsidiarias aut semiquinariam aut diaeresin bucolicam quae vocatur a poetis fere adiunctas esse notum est (exceptis veterrimis poetis velut Ennio et Lucilio, cum quibus Horatius et ex parte Lucretius congruunt[1]). Illi normae plurimi Aetnae versus respondent. Multo rarius penthemimeres cum incisione post trochaeum quartum copulari solebat. Quomodo singuli poetae in hac forma usurpanda differant, ex hisce cognoscas: inter centenos versus Lucretius (VI) 1, 6, Cicero 0, 28, Catullus 0, 5, Vergilius (Aen. IV) 3, 7, Ovidius (Met. VI) 5, 5, Manilius (IV) 2, Lucanus 4, Aetnae auctor 2[2]) versus ita formaverunt. Vides hunc scriptorem Lucretium Ciceronem Catullum superare, cum Manilio consentire, Vergilio Ovidio Lucano inferiorem esse.

Omnino poetae latini politiores caverunt, ne penthemimeren solam in versu ponerent; quotiens hoc non evitaverint, ex hac tabella elucet:

inter centenos versus tot semiquinariam solam praebent:

Lucreti (VI) 1 Ovidi (Met. VI) 2,5

---

[1]) Cf. Guil Meyer l. l. p. 1048.

[2]) Hanc proportionem e numeris a Meyero l. l. p. 1706 sq. computatis elicui (idem in tabellis insequentibus feci); Aetnae versuum numerum 14 indicat, equidem hos tantum terdecim repperi: 60, 74, 91, 97, 152, 241, 317, 431, 436, 457, 491, 511, 515.

Ciceronis	0	Manili (IV)	0,75
Catulli	1,7	Lucani	0,25
Vergili (Aen. IV)	1	Aetnae	0,2[1]).

Cernimus legem illam a Graecis petitam, qua semiquinaria sola improbabatur, duobus temporibus acerrime observatam esse, et Ciceronis aevo et temporibus posterioribus[2]), cum Vergilius Ovidius Catullo praeeunte tam accurate se non egerint. Jam quaeritur, utrum carmen nostrum priori illi an posteriori aetati tribuendum esse videatur. Tullianam hexametri pangendi rationem satis alienam esse ab Aetna facile dignoscitur: alter caesuris post tertium trochaeum raro, alter saepe utitur; alter nonnusquam versus post secundam et ante tertiam et post quartam arsin incidit, alter versus caesura pedis tertii carentes odit; alter ut vidimus incisionem trochaicam pedis quarti repudiat, alter non raro usurpat. Quare facere vix possumus, quin carmen posteriore illa aetate conditum esse censeamus.

Sed iam penthemimeren relinquamus et de caesura trochaica pedis tertii videamus; cui poetae latini semiternariam et semiquinariam adnectere solent. Una vel altera nonnusquam omittitur, quin etiam caesura post tertium trochaeum nulla incisione subsidiaria apposita — sane rarissime — occurrit. In Aetna 95 caesuras post trochaeum tertium deprehendimus. Harum maximam partem incisiones illae subsidiariae comitantur, praeter 87 vv. a Frankeo p. 12 allatos huc pertinent: v. 69, quem cum Ellisio sic lego: tum Liber cessata venit per sidera . . ., v. 227, ubi hepthemimeres agnoscenda est, cum caesura vocula „que" apposita saepe non deleatur (Franke p. 15 cf. Meyer p. 1045 sq.), vv. 241 et 322, in quos eadem regula cadit, v. 338, in quo semiseptenaria syllaba vocis „ullo" extrema elisa quamvis debilitata constat. Hepthemimeres autem sola caesuram illam in vv. duobus (382, 514) sequitur, cum semel tantum (622) trithemi-

---

1) v. 472 et 530.

2) l. l. p. 1072 „Dagegen haben andere und besonders spätere Dichter die griechische Regel wieder streng festgehalten."

meres sola adiuncta sit. Jam hos numeros cum aliis poetis conferamus:

Caesurae p. tr. III in centenis versibus occurrentes:		In centenis caesuris p. tr. III tot copulatae sunt cum utraque incisione:	cum hepthemimere:	cum trithemimere:	cum neutra:
Lucreti VI (1284)	6,1	50,6	10,4	31	8
Ciceronis (709)	3,8	48	7,4	29,6	15
Catulli (797)	8,5	80,9	10,3	4,4	4,4
Vergili (Al. IV, 705)	9,3	94	3	0	3
Ovidi (M. VI 721)	10,5	100	0	0	0
Manili (IV 935)	10,3	99	0	1	0
Lucani (8060)	19	100	0	0	0
Aetnae (646)	14,7	96,8	2,2	1	0

Propter magnam numerorum discrepantiam ex hac re nos non pauca lucrari puto. Primum enim apparet, quantum spatium inter veteriores illos poetas Lucretium Ciceronem Catullum et Aetnam intercedat. Apud illos incisiones post tertium trochaeum multo rariores occurrunt; ut in aliis rebus metricis Catullus proxime ad poetas recentiores accedit. Neque vero illos poetas solos Aetnae scriptor vincit, sed etiam Vergilium, qui et frequentia caesurarum multo inferior est neque tam accurate versum incisione trochaica divisum semiternaria et semiseptenaria instruxit. Quin etiam Ovidium Maniliumque hic poeta numero superat, cum hac in re Lucano maxime se appropinquet; sane hi poetae etiam magis operam dederunt, ut caesuram illam cum utraque incisione coniungerent. Quibus perpensis affirmari posse puto Aetnae auctorem post Vergilium et Ovidium videri scripsisse.

Denique versus heroici forma una nominanda est, quae neque semiquinariam neque caesuram post tertium trochaeum, sed et trithemimeren et hepthemimeren et diaeresin post pedem secundum praebet. Cuius formae unum in Aetna exemplum v. 254 exstat[1]), ita ut eluceat auctorem a versibus talibus omnino abhorruisse[2]). Quotiens alii poetae Romani hanc formam adhibuerint, his numeris collatis cognoscitur:

---

[1]) In talibus versibus qualis 178 *non illi duce me occultas scrutabere causas* penthemimeres elisione debilitata tantum, non sublata est.

[2]) Quare Sudhausi coniectura

v. 294 *nam veluti sonat organicus Tritone canoro*

rationi carminis metricae male convenit ideoque reicienda est (cf. p. 14).

ex centenis versibus in hunc modum conditi sunt:

Lucreti	2,5	Ovidi	0,28
Ciceronis	12,7	Manili	0,32
Catulli	0,25	Lucani	0,38
Vergili	0,7	Aetna	0.15 versus.

Poetam, cui operam damus, a Lucretio et potissimum a Cicerone longe, a Vergilio aliquantum abesse, cum ceteris fere concinere apparet. Iam quis est qui neotericorum artis regulas in hunc scriptorem cadere putet? Quibus eum non favisse iam ex ratione clausularum formandarum colligere licet; praeterea ex usu caesurarum post trochaeum tertium perspicitur. Quare cum Ovidio Manilio Lucano coniungendus videtur esse.

Si haec, quae de Aetnae ratione metrica exhibui, consideraveris, te concessurum esse spero carminis usum temporibus posterioribus multo magis convenire; eum multis in rebus pari loco cum Lucano esse vidimus. Etiamsi re metrica evinci non potest eum Lucani asseclam fuisse, tamen eum post Vergilium Ovidiumque carmen fudisse verisimillimum fit.

Jam deliberationum omnium, quae institutae sunt, faciam summam; vidimus post a. 53 p. C. Aetnam esse ortam videri; verisimile duximus non modo Lucreti Vergili Ovidi Manili, sed etiam Senecae philosophi rationem habere auctorem; apparuit e rebus grammaticis et metricis, tantum abesse, ut ex his concludi posset vetustiorem esse libellum, ut hae rationes tempora posteriora indicarent. Quare verisimillimum est inter a. 63, quo Quaestiones Naturales conscriptae sunt, et a. 79 auctorem Aetnae carmen condidisse. Quis fuerit auctor, obscurum est. Sane multa in Lucilium quadrant: Siciliam optime novit, cuius erat procurator; ut Aetnae operam navaret, ab amico incitatus est; idem et versus fecit et simili videtur usus esse genere dicendi quo Aetnae poeta. Fortasse igitur adstipulandum erit Wernsdorfio: cautius est iudicium cohibere.

VITA.

Natus sum Carolus Augustus Catholy Stargardiae in Pommeraniae oppido a. MDCCCLXXXV Id. Febr., patre Erico, matre Maria e gente Mertens. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus gymnasia frequentavi Halis Saxonum, Soraviae in urbe Lusatica, Costrini Marchicorum. Inde a. MCMIII maturitatis testimonio instructus Vratislaviam me contuli; ibi per duo semestria, deinde Tubingae sex menses, Berolinae bis sex menses, postremo Gryphiae quinque semestria litterarum antiquarum studiis me dedi. Docuerunt me vv. dd:

Bernheim, Cichorius, Diels, Herzog, Gercke, Hoffmanu, Kauffmann, Kornemann, Kroll, E. Meyer, Norden, Partsch, Pernice, Radermacher, Rehmke, Schaefer, W. Schmid, Seeck, Sieglin, Skutsch, Ulmann, von Wilamowitz, Zacher, Zupitza.

In seminarium philologicum Gryphiense ut reciperer, Gerckii Krollii Radermacheri benevolentia factum est; moderantibus vicissim Gerckio Krollio Radermachero Hosio per tria somestria sodalis, per unum senior fui. Benigne me ad exercitationes suas admiserunt

Bernheim, Cichorius, Diels, Kornemann, E. Meyer, Pernice, W. Schmid, Seeck, Sieglin, Ulmann, Zupitza.

Examen philologicum publicum a. d. Kal. Febr. huius anni superavi. Omnes magistros meos optime de me meritos esse profiteor; cum ceteris tum Gerckio, qui summa benignitate studia mea iuvit, gratias et nunc ago et semper habebo maximas.